ZIONALE VITT. EMANUELE
12
I
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

AUREUS LIBELLUS
DE
PROROGANDA VITA,

In quo cauſæ longioris ac brevioris vitæ exquiſitè deſcribuntur, & quánam diæta, quibusque medicamentis tàm vulgaribus, quàm pretioſis & arcanis vita longa ſit comparanda, evidentiſſimè ac fideliſſimè monſtratur,

Omnibus literatis, tàm in re anguſta, quàm in aucta lautaq; parte conſtitutis, peræquè utilis ac ſummoperè neceſſarius,

In duas partes, Theoricam & practicam generalem diſtinctus, &

A

MARTINO PANSA D. ET POLIATRO ANNÆmontano ordinario expoſitus.

LIPSIÆ

Impenſis THOMÆ SCHÜRERI,

ANNO M DC XV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12.1.I.28

Ariſtoteles lib. 2. Ethicor. cap. 3.

VIr juſtus ac temperans eſt, qui ita agit, ut juſti & temperantes ſolent. Multi perinde faciunt ac ægrotantes, qui cum Medicos diligenter audiant, nihil tamen eorum, quæ ab ipſis mandantur, efficiunt. Sicut igitur neque illi corpore unquam benè valebunt, dum ita curantur: ſic neque iſti animo, dum ita Philoſophantur, benè habebunt.

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, Prudentiſsimiſque Viris, Dominis CONSULIBUS AC SENATORIBUS celeberrimæ Reipublicæ LIPSENSIS,

Dominis ſuis ac Patronis officiosè colendis,

S. D.

REx Æthiopum interrogatus, Viri Magnifici ac Conſultiſsimi, τὶ κάλλιστον, quidnam eſſet optimum, reſpondebat, Φῶς, lumen, referente Plutarcho in convivio 7. Sapientum. ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἐστι τιμιώτερον, teſte Euripide in Alceſtite: tanta eſt enim vita hujus dignitas ac præſtantia, ut res omnium pretioſiſsimas & cariſsimas præ illa deſpiciamus, ut rerum omnium jacturam, immò etiam domeſticorum interitum æquo animo ſuſtineamus, dummodò nobis cute illæsâ & corpore ſalvo evadere liceat. Cùm verò non ipſum vivere vita ſit, ſed valere, quidni omnes ingenii & fortunæ nervos intendamus, quò fir-

ma & conſtanti valetudine frui nobis liceat? Τὸ γὰρ σῶμα εὔρωστον βέλτιον, ἢ ὄλβος ἀμέτρητος, id eſt, corpus ſanum pretioſius eſt, quibusvis opibus, teſte Syrac. cap. 30.

Tantum certè proſpera valetudo bonum eſt, ut nemo ſapientum ne quidem cum Crœſi aut alterius potentiſſimi Monarchæ divitiis id commutare auſit.

Cum verò variis morborum telis expoſita ſit vita noſtra, quærenda ſunt præſidia, quorum beneficio circumſtantes hoſtes propulſare poſſimus: hujus rei ſolertiam Ars medica nobis ſubminiſtrat: ideoq́; iſtius dignitatem atq; excellentiam admirati ſunt omnibus ſeculis, ac honore digno proſecuti prudentes viri. Nam Ars medica caput exaltat Artificis, eumq́; reddit magnum apud Principes, utq; opera DEI *miranda celebrentur, hanc Artem* DEUS *communicavit hominibus. Immò ſacrarum literarum elogiis, de Medicina ſubſcripſerunt etiam Ethnici, qui nihil tàm divinum, quàm hominum ſanationes exiſtimârunt, & cum* DEO *conferre Medicum non erubuerunt.*

Num

Num vita prorogari queat Artis medicæ beneficio, magna ſemper inter doctos agitata eſt controverſia, cujus rei explicatio in ipſius naturæ receſſibus atq; involucris abdita latet, & concluſa. Validæ utrinq; de hac re ſententiæ & rationes occurrunt, ut in quam partem animus inclinare debeat, non cujusvis judicium ſufficiat. Quare meam hac in parte ſententiam interponere viſum fuit, cum nemo ſit, qui hoc ſummum ſanitatis ac longævitatis bonum ſeriò reſpuat.

Cæterùm liquidò conſtat, bibulorum & intemperantium vitam plerunq; cancellis anguſtioribus circumſcribi, immò eos etiam, qui ſalubrem vivendi rationem ignorant, citiùs, quàm pro naturæ ratione, interire ſæpiſſimè experimur. Tanta eſt enim ejus Artis, quæ vitæ & valetudini hominum proſpicit, vis atq; potentia, ut, ſi quis ejus præcepta neglexerit, non modò miſeram, & omni morborum colluvie afflictam, vitam degat, ſed etiam vitæ terminos, quos lege naturæ ſalubriter conſtitutæ æquaturus erat, ſibiipſi neglectu Artis ſupprimat & abrumpat. Quod ſi con-

temtores Artis citiùs, quàm natura permittebat, diem obeunt, quidni ejusdem obſervatores in tempus longius diem producent? fructus certè exoptatos deportaturi ſunt, quicunque in lectione hujus libelli, ut & in rerum utilium obſervatione ſedulos atq; attentos ſeſe ſunt præſtituri. Nam Epicureos ac beluinos homines, in diem viventes, non magnoperè curamus, cum & hi fructus, ſed vitæ calamitoſæ & morboſæ ſint decerpturi. Cauſas ego univerſas brevioris vitæ in præſenti libello perſpicuè propoſui, quæ, quibus inſtrumentis ſint inhibendæ, ac profligendæ, & cum cauſis vitæ longioris commutandæ, declarantur, non modò diætæ haud ita ſeveræ, à prudentibus adhibendæ, rationem commemorando, ſed medicamentorum ſelectiſſimorm, ac probatiſſimorum apparatum proferendo.

Vobis, Viri Magnifici ac Conſultiſſimi, Fautores obſervandi, hanc meam generalem μακροβιολογίαν, & quidem utranq; partem, tàm Theoricam, quàm practicam, certis de cauſis dedicare volui, cum præſertim non ignorem, nullam civitatem in tota Miſnia (pace reliquarum

eliquarum dictum velim) plus tribuere Arti medicæ, quàm civitatem Lipſenſem; nec immeritò, cum ibidem morum ſuavitas atq; elegantia, incredibilis humanitatis condimento temperata, & in Magiſtratu nunquam ſatis laudato cumprimis elucens ſpiret, odoremq; fragrantiſſimum, tùm ſibimetipſis, ac ſuis præbeat, tùm ad literatos etiam, in exteris regionibus degentes, perrepat. Ideoq; magis vigebit veſtra Reſpublica, florebit ſanitas, nec non familia verè nobilis, & Majorum imaginibus maximè conſpicua, poſthac creſcet, nec ulla vetuſtate extinguetur, immò magis magisq; emerget. Cumq; ſuperioribus annis complures civitates quotidianus ac continuus deformaret mortuorum aſpectus, Vos DEI præpotentis gratiâ circumcincti, humanaq; providentiæ ſubſidio firmati, & laudatiſſima legum, contra peſtiferum morbum, conſtitutione promulgata inſtructi (quâ nulla melior, nulla ſapientior, nulla exactior unquam excogitari poteſt) ſalvi atq; incolumes evaſiſtis, & poſthac illæſi ad plurimorum annorum ſeriem, DEO & humanâ induſtriâ ſuffragante, permanebitis, idq; vobis omnibus ac ſingulis ex animo precor.

Vt igitur, Viri prudentiſsimi, hocce chartaceum munuſculum, quantulumcunq́, quod quidem levidenſe eſt, ſereno vultu accipere, illudq́ ſub veſtra autoritate & patrocinio, tanquam ſub Palladis clypeo tectum, obtrectantium ac lividorum incurſu morſuq́ defendere velitis, officiosè rogo, & ut diutiſsimè ac ſalubriter valeatis exopto. Prodibat libellus in lucem circa nundinas Natalitias Lipſicas, anno 1615.

Veſtram Magnific. & prudent.

officiosè colens

Martinus Panſa D.
Phyſicus Annæmontanus.

Con-

ɔnſignatio Capitum, quæ in c prima generali Theoretices ırte, de proroganda vita continentur, ac ordine ſubſequuntur.

CAPUT I.

In quo libelli hujus divulgati, ut & ordi-, in ejusdem tractatione obſervati, ratio ur.

CAPUT II.

In quo diſputatur, quod vitæ termini ar- ledica prorogari poſſint.

CAPUT III.

In quo probabiliter diſſeritur, vitæ termi- præfinitos nullo ingenio medico ulterius tendi poſſe.

CAPUT IV.

n quo contradictoriæ ſententiæ de prolon- ıda vita conciliantur, & vera tandem ·entia eruitur.

CAPUT V

In quo aſſeritur, quod ſeipſum nôſſe adi- ı aperiat ad longævitatem.

CAPUT VII.

De præſtantia vitæ humanæ, tùm de dignitate hominis.

CAPUT VIII.

De ſanitatis Encomio.

CAPUT IX.

De Medicæ artis eminentia.

CAPUT X.

De vita, quid ſit, & in quibus conſiſtat.

CAPUT XI.

An homo in hoc mundo vel per ſe, vel ſuâ, vel Artificis operâ adjutus reddi poſſit immortalis.

CAPUT XII.

In quo primùm obiter de vita irrationalium, brutorum & Arborum poſtea de termino humanæ vitæ, & quod Homo longiſſima vita digniſſimus ſit, tractatur.

CAPUT XIII.

Cur Patriarchæ & Majores noſtri diutiùs vixerint.

CAPUT XIV.

Vitam longam deſiderantibus pietas cumprimis neceſſaria eſt.

CAPUT XV.
ppetentibus longam vitam proba edu-o à teneris neceſſaria eſt.
CAPUT XVI.
Quid ſit calor innatus & humidum radi-
CAPUT XVII.
Quæ conditiones ad calorem nativum, ad humidum radicale requirantur, ut educi vita poſſit.
CAPUT XVIII.
De diverſitate vitæ humanæ; cur in qui-uſdam brevior ſit vita, in aliis longior.
CAPUT XIX.
De cuſtodia ſanitatis, deq; cauſis primariis rolongantibus vitam.
CAPUT XX.
De temperantia.
CAPUT XXI.
In quo oſtenditur, ad longævitatem re-quiri externa caloris nativi fomenta.
CAPUT XXII.
In quo aſſeritur, purgationes excremen-torum

torum certis temporibus ſuſceptas, permultum conferre ad longævitatem.

CAPUT XXIII.

In quo agitur, victum ſalubrem & roborantia medicamēta longævitati inſervire.

CAPUT XXIV.

De rebus non naturalibus, quæ pro utendi ratione, modò longævitatem, modò brevitatem vitæ pariunt.

CAPUT XXV.

In quo docetur, mediocritatem in omnibus rebus, ad ſanitatem pertinentibus, adhibitam, procurare longævitatem.

CAPUT XXVI.

Quomodo Aër in vitâ proroganda vel coarctanda Autor eſſe poſſit, & qualis Aër maximè ſit eligendus.

CAPUT XXVII.

De Regionum diverſitate, quod ad diverſitatem vitæ plurimùm faciat.

CAPUT XXVIII.

De ventorum diverſitate, quæ ſimiliter diverſitatem vitæ in hominibus conſtituit.

CAPUT XXIX.

An & qualem ſidera vim habeant ad protendendam

endam vel contrahendam vitam.

CAPUT XXX.

erfectam concoctionem ad vitam ma-n præſtare adjumentum: cruditatem ve-indem diminuére.

CAPUT XXXI.

e cibo & potu, deq; vero alimentorum

CAPUT XXXII.

e varietate ferculorum, num cibus ſim-vitæ producendæ magis arrideat, quàm us, & num expediant menſæ ſecundæ.

CAPUT XXXIII.

e Motu & Quiete, quomodo ad ſuſten-nem & conſervationem vitæ faciant.

CAPUT XXXIV.

e vigilia & ſomno, quæ modò brevita-nodò longitudinis causâ eſſe poſſunt.

CAPUT XXXV.

e Redundantia & inanitione, quæ ambo revitatem vel diuturnitatem vitæ con-unt.

CAPUT XXXVI.

e Excrementorum varietate, & primò rinis.

CAPUT XXXVII.

De Fecibus alvi, quarum contemplatio μακροβιοφίλοις plurimùm conducit.

CAPUT XXXVIII.

De ſudore, cujus excretio vitam vel diu conſervat, vel eandem citiùs abrumpit.

CAPUT XXXIX.

De Sputo, cujus conſideratio de ſanitatis diſpoſitione non mediocriter nos certiores reddit.

CAPUT XL.

De Mucis, quorum coutemplatio Studioſo ſanitatis non negligenda eſt.

CAPUT XLI.

De perturbationib. animi, quarum magna vis eſt in ſanitate vel conſervanda, vel deſtruenda, ac primùm de Mœſtitia, ejuśq́ curâ.

CAPUT XLII.

De timore ac terrore, & eorum generali curâ.

CAPUT XLIII

De Lætitia moderata & exuberante.

CAPUT XLIV.

De Curis ſuperfluis, deq́ irremiſſo literatorum ſtudio.

CAPUT XLV.

De avaritia.

CAPUT XLVI.

De Iracundia ſeu Excandeſcentia.

CAPUT XLVII.

De perturbatione Venerea, ut & de immita Veneris appetentia.

CAPUT XLVIII.

In quo cauſæ pleræq; omnes longitudinis brevitatis vitæ breviter enarrantur.

CAPUT XLIX.

De Medicaſtris, quod ſint cauſa certiſſima exploratiſſima brevioris vitæ, nec non ius mortis immaturæ.

CAPUT L.

An Senectus homini ſit optanda, quam ngævitas affert.

CAPUT LI.

An Senectus ac Mors retardari poſſint, debeant.

CAPUT LII.

De cauſis occultis, prolongantibus, vel abindentibus vitam.

CAPUT LIII.

An Natura fragilis ſui tranſmutationem admittat, & num regulæ de diæta præſcriptæ ab ullo homine poſſint obſervari.

CAPUT LIV.

De varietate vitali agente, deq; ipſius domicilio, motuq; indefeſſo.

CAPUT LV.

De vitalis virtutis decremento, ſpontaneo, & non coacto.

CAPUT LVI.

Cur Magnates plerunq; ſint brevioris vitæ.

Digitized by Google

De proroganda vita.

CAPUT I.

n quo libelli hujus divulgati, ut & ordinis, in ejuſdem tractatione obſervati, ratio datur.

NOn ingenioli qualiſcunque oſtentandi gratia, ſed gravibus de cauſis permotus, in hanc arenam deſcendi, & ad enodandas longioris ac brevioris tæ cauſas, unà cum parte practica, viam ionſtrante ad longævitatis iter feliciter & inrediendum, & abſolvendum, prodii. In ic mundi ſenecta adeò invaleſcit hominum aritia, & ingluvies, ut ne centeſimus quiem, immò vix milleſimus, ob relictam cororis curam, præſtitutum à natura curſum ontinuet, Certè ſordidum genus hominum rnificinas tollerat, & podagricos, cœteroſq; olores acutiſſimos, qui ſanari & mitigari oſſunt, ſtoico prorſus affectu inſtar mancilorum, cùm inſigni, adeoque irreparabili

vitæ jactura, cordisque compreſsione, ſufferunt & obdurant. Cui namque fons vitæ ſit principium caloris & vitalis ſucci, unde tanquam ex quodam promtuario, reliquæ partes ſpiritum caloremque hauriunt, certè doloribus intenſioribus, ac ſubinde recurrentibus magna vitæ annorumque pars ac numerus intercipitur, abſumtis per dolores & mœſtitiam ſpiritibus, & ſucco vitali, qui per conſtrictionem & corrugationem cordis ignobilior, ſiccior & flaccidior relinquitur, unde reliqua quoque membra ſuo defraudata nectare, ante diem collabi neceſſe eſt: Vide; Avaritia quid facit? Deplorandus eſt certè miſerrimus ſtatus hominum, ſibimetipſis vim & necem inferentium; plurimi nihil quicquam tribuunt Medicinæ, hic propria excrementa magis arrident, quàm pharmacorum uſus: deliteſcant igitur cum porcis in proprio volutabro ad nauſeam uſque. Alii in utramvis aurem ociosè dormiunt, & malum corporis gliſcens ſupinâ incuriâ negligunt, donec paulatim ex parvis initiis vires majores acquirat, tandemque reddatur immedicabile, quod antea leviuſculo ſumtu averti potuiſſet: hinc in pigritiis humiliatur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillat domus, Eccleſiaſte *10. verſ. 13.* Nam ejusmodi cunctatores nunquam in tempore Medicinam

icinam implorant,ſed tàm diu tergiverſan-
ır, & tàm diu cum Thalete juvene,cui con-
ıgium ſubinde commendabatur, obganni-
nt, οὐδέπω καιρὸς, nondum eſt tempeſtivum,
onec tandem, occaſione rei gerendæ è ma-
ibus elapsâ conqueri cogantur, οὐκ ἔτι και-
ς, non amplius tempeſtivum eſt.

Quidam caſu & fortuitò cuncta putant
ı hominis vita contingere, & ad cauſas na-
ırales nihil quicquam referendũ eſſe ſom-
iant, etiamſi huic brevior, alteri longior
ta concedatur: immò ſi quis auſu teme-
ırio in voluntarium vitæ exitium, vel inglu-
e, vel alia quadam temeritate ruat, divinæ
lud voluntati impudenter ac impiè unà cũ
heologis quibuſdam inertibus aſſcribere
ıdent. Sic nullo diſcurſu, nullo judiciô,
ui aliàs graminis creſcentis gradus & puli-
ım tuſſes exactè nôrunt, ferarum more
runtur,

Nonnulli, ſed pauciores, in tempore qui-
em pharmacis utuntur,&in morborũ prin-
pio vivunt nonnihil ad præſcriptum Medi-
verum exacerbationib.&paroxiſmis non-
ihil remittentibus, confeſtim de cura me-
ıodicè ſuſceptâ reſiliunt, & ad ingenium
deunt, vix univerſalia remedia tentantes,
articularia negligentes, moleq́; negociorũ

neſcio quam prætendentes. Certè hic prætextus non Medicum, ſed teipſum fallit, vitæque tuæ ſpatiis, ulterius aliàs extendendis, permagnum derogat.

Hinc complures hoſtem occultum in cerebro, ne dum in aliis particulis diu circumgeſtantes ac foventes, in cruda ſenectute, vel etiam citiùs, Apoplectico catarrho ſuffocantur, qui ſi rebus ſuis rectiùs & maturiùs conſuluiſſent, ad plures annos vixiſſent.

Multi præſentiſſimum atque evidentiſſimum levamen in principio curationis, quæ ſuam certè alterationem in gravioribus & diuturnioribus affectibus paulatim inducit, non percipientes, ab omni medicamentorũ uſu ſtatim recedunt, operam inanem inſumi, ſumptusque fruſtraneos erogari, ſibi perſuadent, cum interim aliqui unicum groſſum, pro inſpectione urinæ, Medico exquiſitè, quaſi lege quadam obſtricti, numerent, ne obulus forſan unicus redundet: pro tanto honorario (bone DEUS) integrâ ſibi concione à Medicis ſatisfieri petunt, requirunt, inſtant, urgent.

Nequeo ſatis mirari ſeculi hujus ingratitudinem: Primò quidem dimidium ſubſtantiæ ſuæ, pro ſanitate recuperanda, expendere non dubitant, ſcribas modò: ordinesque, inquiunt, probata, quantumvis pretioſa: ſed poſt-

oſtmodùm reſtituti, vix dimidium thalerū
um indignatione proferunt, tardeque, nec
iſi crebriùs hoc nomine cōpellati, ſolvunt:
ſeculum ſordidum, lucroſum, iniquum: au-
ım ingenio & ſanitati præfertur, virtus o-
ınis plenæ crumenæ inhæret, & ob frugife-
e ſpei ablationem optima quæque ingenia
langveſcunt, jacent, ac defloreſcunt: Muſæ
Iuſarumque miniſtri ab homunculis ocioſis
c peni deditis ludibrio exponuntur:

Quocirca longævitatis amantem ſeipſum
uoq; præſtare oportet congrua facientem:
am inobedientia, & Epicureiſmū redolens
ımnolentia, ſaluberrimis & canonicis præ-
eptionibus reſiſtens, proprio ſeſe gladio ju-
ulat, licet omnia tandem divinæ Arti, ejus-
ue Miniſtris perperàm imputentur.

Ingenuos volo, liberales, ac obtempe-
ıntes, qui digno honore corpus & naturam
omitantur, qui hoc opuſculum deſiderant,
ıaque lectione dignantur. Accedite igitur
ropiùs, abſcondita vobis & abſtruſa candi-
è revelabo, vobis, qui locorum, quibus lon-
um vitæ iter perficitur, ignari eſtis, ne
æſitantes à vero tramite, in avia morborū,
: maraſmi juvenilis præcipitium deflectatis
ræibo vobis luce theoretica, ſequimini, ac
ıſiſtite meis veſtigiis: non modò ſum theo-
ːticus, ſed etiam practicus (abſit jactantia di-

ſto) rumpantur ut ilia Codromeo, adverſario cujus eruditiunculam nauci facio, prodeat modo, in omnibus & ad omnia reſpondebo, palmam non præripiam, niſi victor evaſurus ſim, judicent alii: qui verbis tantùm curas, te & alios innumeros ægrotos tua perdet inſolentia, & ignorantia in Philoſophia. Cæteros quoque ſtultos, & Euclìones ſordidos, loculis, vanisq; curis affixos, relinquemus, cum in urbem pergere neſciant, nec comitem ullum ſeu ductorem quærant, cancrorum more incedentes, & Æthiopis colorem indelebilem per totam vitam circumferentes.

Ardua igitur, lectores optimi, ad tempus ſeponite, & hæc ardua ſunt, de vita, re omnium pretioſiſſima & cariſſima, res agitur: percurrite igitur curriculū hujus libelli ſuccinctum, qui curriculum vitæ exoptatis prolixum.

Cæterùm cum honoratiſsimus, præſtantiſsimus, optimusque vir, *Dn. Thomas Schlirerus, amicus meus dilectus*, haſce meas, de proroganda vita, lucubrationes aliquoties urgeret, quod eaſdem complures alii deſiderarent, & flagitarent; intermittere amplius nolui, quin honeſtæ tùm ipſius, tùm aliorum bonorum petitioni locum darem, nolit velit invidia.

Metho-

Methodum in hoc libello, à generalibus ad ſpecialia procendendo, obſervari, & initio quidem dubias quorundam de longævitate ſententias adduxi: ἔστι γὰρ τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις πρὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς, id eſt, qui vero ſenſu ac cognitione legitima rei alicuius abundare volunt, iis utile eſt, ut antea bene dubitent.

Deinde ut lectorem magis attentum in ſequentibus reddam, primò omnium τὸ γνῶθι σεαυτὸν, ut & miſeriam, & mortalitatem cunctis communem, eidem inculco, ut ſtimulo quadam compulſus ad ea, quæ ad quandam immortalitatis ſpeciem faciunt, alacrius ſtudium referat: cum homo egregia compage confectus, longiſsimâ vitâ & ſanitate diutiſsimâ, quæ ſummum bonũ eſt, in juſta qualitate & quantitate caloris & humoris conſiſtens, digniſsimus ſit. Præterea exempla Patriarcharũ, qui certè ſobriam vitã amplexi ſunt, afferuntur, ut quilibet periculum queat ex iis facere, ſibi quod ex uſu ſit.

Cumq; non tàm caloris nativi ubertas & bonitas, quàm pietas, & à teneris honeſta educatio, permultùm ad longævitatem conferant, & fundamenta quædam ad eandem impetrandam jaciant, vitæque humanæ diverſitatem conſtituant, certè illis ipſis prior in libello locus aſſignandus erit.

Cæterùm cauſis internis, utpote prioribus, diſcuſſis, progredior ad poſteriores & externas, quippe quæ hominis conſtitutionē conſequuntur, eandemque progreſſu ætatis, modò magis, modò minus, pro utendi modo, & pro diverſitate individuorum alterant, quæ cauſæ potiſſimùm ſex rerũ non naturalium numero comprehenduntur, quæ minus convenienter adhibitæ ſanitatē deſtruunt, fiuntque cauſæ morborum externæ, ſeu προκαταρκτικαὶ, primitivæ, interiorumque cauſarum imitatrices.

Circa finem ſubjicitur dictorum ἀνακεφαλαίωσις, continens cauſas pleraſq; omnes, quocunque modo ad vitam vel prorogandam vel imminuendam facientes. Et cum multa ſanitatis ſtudioſum obſervare deceat, quæ quidem obſervari poſſunt, de ſtudio ſuo nemo remittet, qui honore ſenectutis, quem omnes exoptamus, & deſideramus, ornari cupit. Quamvis enim nonnulli ſint valetudinarii, de ſpe tamen ſua non decident, dummodò rem aſtu ſic gerant, ne ſibimetipſis defuiſſe videantur. Si namque balſamus radicalis in graviſſimis morbis proſtratus erigi, roborantiumque fulcro ſuſtentari, ali, & augeri poteſt, quidni in corporibus ſanis, & à vigore deflectentibus, idem ſic attemperari poterit, ut in complures an-

nos

s ; inſtar alicujus ceræ, & aërii tenacisque
ci , calorem externum attrahentis, à cor-
ptione ſalvus perſiſtat. Atque hæc potiſſi-
im prima pars hujus libelli , quam Theo-
icam generalem inſcripſi , complectitur.

CAPUT II.

quo diſputatur, quod Vitæ termini arte Medica prorogari poſſint.

Aleni tempore Philoſophus qui-
dam peculiari libro,homines, non mo-
neceſſitate naturali , evincere conatus eſt,
l ignorantiâ faciendorum : ideòque , quo-
odo aliquis in totum ſenectutis exors per-
anere queat,alios docere voluit : hoc ſi ob-
uiſſet , non difficulter vitam quoque im-
ortalem reddere potuiſſet , ſiquidem ſene-
us nihil aliud eſt , quàm via ad interitum
corruptionem viventis. Verum cum nec
ſe Philoſophus ſenectutem gracilem ſic-
mque evitare poſſet (nam cutem pendulã,
idam ac circumtentam circumferre coa-
us eſt) ubi vix octuageſimum ætatis annum
vendo attigiſſet, non immeritò quidem ri-
i ſeſe expoſuit omnibus. At cum adhuc eſ-
t in vivis , errorem ſuum enormem nonni-
il agnovit,alteramque ſuam de hac materia
ditionem, de admiranda illa ſenectutis evi-
tione , inſcripſit , in qua diſſeruit , non o-

mnem quidem hominẽ ſenectutis exortem permanere poſſe, ſed naturam requiri idoneam, maximè ſi primum à teneris oblatum alimentum ejusmodi fundamenta ſtrueret. Promiſit enim, ſi idoneis & ſalubribus naturâ infantibus ſtatim ab initio præficeretur, ſe ipſorum corpora immortalia facturum eſſe. Et revera promiſſio ipſius redargui non poterat! antea enim quàm pueri in viros evaderent, quos videlicet ſuſceperat, ipſe moriturus erat. Sophiſta hic jactabundus, lucrum quærens, promiſſis ſuis forſitan ſtetiſſet, ſi & ipſe prius rugas & faciei plicas, canitiem, & deſtructionem à ſe ipſo avertere atque amoliri potuiſſet. Sed non hoc, multò minus alterum præſtare valuit, ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι φλύων Ac ſine dubio ſenex iſte moriturus obitus ſui culpam in ſuos educatores ac nutrices imprudentes, vel certè in prima iſta fundamenta ſeminis ac ſanguinis materni derivavit.

Sed miſsis iſtiusmodi ineptiis ad diſputationem nos accingamus, in qua primum affirmativam partem tuebimur, humanæ vitæ terminos ſubſidio medico prorogari poſſe, aliquot argumentis ac rationibus propoſitis. Dehinc Antagoniſtarum ἀντιτείνοντα producta diſſolvemus.

Quod

Digitized by Google

I.

Quod poteſt cauſas ſanitatis&vitæ produ-ctrices & conſervatrices procurare, & vali-diores reddere: cauſarum verò injurias cor-rumpentes ac deſtruentes avertere ac pro-pulſare, illud ipſum vitam producere, mor-temq; differre poteſt: Medicina hoc præſtat, ergo vitæ terminos protrahere poteſt.

Minorem probo, videmus eos, qui ſanita-tis cauſas diligentiùs obſervant, morborum-q; procreatrices opportunè declinant & cor-rigunt, plerunque ad decrepitam ætatem pervenire, quod non fieret, niſi in curanda cuſtodiendâq; bona valetudine eſſent ad mo-dùm attenti ac circumſpecti. Et viceverſa videmus Lurcones, qui nec diætæ, nec me-dicamentorum ullam conſiderant rationem, plerunque breviori vitæ curriculo intercludi.

Quidam interrogatus, cur tàm diu vi-veret, reſpondit; nihil crudi comedi, tale ſemen conſervavi, me calidum te-nui, & ita conſenui. Circumferuntur hinc inde in Autoribus aquæ pretioſæ, conſuli roborantes, & alia complura, quorum auxilio & uſu homines nonnulli feduntur ultra centeſimum annum vitam produxiſſe. Ingenuè fateor, quoſdam meo-rum ægrotantium, qui operâ meâ uſi ſunt,

&

& quos morti vulgus deſtinaverat;animi deliquio collapſos, extinctæ ſopitæque animæ ſpeciem aſtantibus exhibentes, divinâ pariter & humanâ adjutos operâ rurſus emerſiſſe, ex tot animi deliquiis evaſiſſe,& ad ſe rediiſſe. Vides, Domine Lector, quam magnificata ſint opera Domini, ſummi Archiatri, medicis inſerta, quæ ſtultus ac vir inſipiens non intelligit. Aſotos ſanè ac bibulos, præſcripta medica ludibrio exponentes, ſæpiùs Apoplecticos fieri, ſubitamque mortem incurrere cernimus: Suffocant enim nimiis humectationibus inſitum calorem, ſpiritibus ac viſceribus potenti vino tot impotentias inculcant, donec adhuc in vigore ætatis omnes functiones corporis tot violentis injuriis fractas concidere neceſſe ſit. Hinc & ſimpliciſſimum vulgus ſæpenumerò demortui cauſam eruit, nec acquieſcit, donec interitus ac mortis cauſa ſit detecta, & in Solē producta: ideoque dicere ſolemus, mors requirit cauſam, de qua homo moriatur; ſive illa ſit naturalis, ſive violenta, ſive ſit manifeſta, vel occulta, ác venenata. Hinc ſæpè ex iis, qui graviſſimè decubuerunt, vireſque priſtinas collegerunt, ſequentia audiuntur verba: hic vel ille Medicus poſt D e u m, me ſervavit, & quod ſalvus evaſerim, huic Medico acceptum à me poſt D e u m referendum.

Vitam

II.

Vitam procreantia & conſervantia prin-
ia ſunt caloris nativi,humido radicali ſuf-
ti, bonitas atque ubertas: tum eucraſia,
ilitatúmque agentium &patientium ſym-
tria. Utrunque conſervat Medicina.Ergo
mini vitæ prolongari poſſunt ſubſidio Me-
o. Minorem probo, videmus calorem
ernum Solis, aliarumque rerum amiciſ-
ium eſſe calori inſito hominis, huncque
iſto foveri, augeri & conſervari. In acu-
imo frigore gratiſſimum eſt Muſæolum
efactum,jucundiſſima ſunt juſcula calida,
ium Rhenenſe, nec non aquæ ſublimatæ,
is aquas vitæ nuncupant, ſtomacho & ce-
ro ſuaviter arrident. Inſidemus Ther-
s, aut aquæ ſimplici calefactæ non abſque
ima voluptate: inde ſiquidem recrean-
ſpiritus, & calor innatus æquali ſuo ad-
dùm delectatur. Ex contraria parte fri-
eſſe narcoticum deprehendimus, calorē
e, adeoque ipſam vitam in calido humi-
que conſiſtentem,ac perdurantem deſtrui
ue everti multis modis quotidiè experi-
r. Hyeme conſtringuntur membra.San-
s utpote theſaurus vitæ, refugiens ad in-
ora corporis ſe abdit, membra exteriora
ſtringuntur, vis digitorum apprehenſiva
rvatur: ſenſus læditur.

Quot

Quot homines quæsò conquerentes de frigore, quod in juventute perpeſsi ſunt, audiuntur, quantas inde noxas ſanitati ſuæ attractas, per omnem reſiduæ ætatis decurſum non eluendas atque extirpandas ſentiunt, damnumq; inde emerſum aliis aperiunt, ex ſeipſis periculum facere jubentes alios, quod ex uſu fiet. Quid multis? qualitatum conſentientium familiarem congreſſum ex privatione, & earum inimicâ diſſonantiâ & aſymmetriâ perniciosâ cognoſcimus: præpollente enim humiditate facilè exurgunt morbi tartarei & catarrhales: in ſiccitatibus ſqualidis ſanguineque nimis incaleſcente, ſuſcitantur febres acutæ & periculoſæ.

III.

Natura nihil fruſtrà, ſed ad certum aliquem finem omnia condidit: ideóque Deus Medicum & Medium, id eſt, Medicinam in ſui honorem non modò creavit, ſed etiam humanæ neceſſitati conſultum voluit. Etiamſi enim Deus ſtipendia peccati varia peccatoribus ſolvat, & propterea multiplici morborum farragine eoſdem defatiget: Domini tamen miſericordiæ acceptum referendum eſt, quod non planè conſumamur, & quod adhuc aliquid ſimus. Hinc herbæ, quippe

ppe quæ gloriam Salomonicam forma ſua
tim externa, partim interna exuperant,
: reliquæ medelæ, in uſum hominis crea-
auxiliares D E I manus ſunt, baculus &
rum vitæ, immò pars panis quotidiani.
n ſub pane quotidiano (ſi ſub eo omne
d, quod ad corporis ſuſtentationem re-
ritur, comprehendi debet) optimo jure
poſtremum ſibi vendicant locum medi-
lenta, quæ qui ſeparat, homicidæ nomen
etur, peccando in D E U M ac in ſeipſum
tra quintam Decalogi præceptionem.

I V.

Medicina vera Balſamum radicalem, re-
rat alimentis ſaluberrimi copioſiſsimiq;
:i, nec ſimile tantum reponit, ſed idem.
n enim ex iiſdem nutriamur, ex quibus
ſtamus, procul omni dubio & balſamo ad
nutritionem ex ſalubri cibo & potu nutri-
ntum accedet: quid enim nos aliud nu-
, auget & inſtaurat, quàm balſamus, qui
quinta eſſentia ſanguinis, optima & ela-
atiſsima illius portio? Hoc ipſum nõ rarò
maciatis, ac diuturno morbo exhauſtis,
oſſa trahentibus, lecto per aliquot annos
is, vides, in quib. humidum ferè univer-
eſt abſumtum, qui oculos concavos, col-
: tempora, aures & nares frigidas contra-
int, ac deforme ſceletum, ſiccũ & frigidũ
exhi-

exhibent, in quibus ſulphur vitæ & humidum implantatum videtur extinctum, hos ipſos nimirum reſurgere, & à mortuis quaſi in lucem revocari, flammamque vitæ propemodum depaſtam ſuccendi, ac denuò mirabiliter reparari, diætâ reſtaurante, utpote pabulo, fomento & glutine ſalutari, tum egregio ſelectiſsimorum pharmacorum fulcro eandem ſuffulciri, & ad priſtinum nitorem ac dignitatem reduci, ita ut ejuſmodi ægrotantes quaſi ex orci faucib. abrepti pulcriores, pingviores ac ſalubriores poſtea compareant, ac tenorem ætatis floridæ quàm diutiſſimè conſervent.

Quid non Medicina dextrè adminiſtrata ad ſtuporem uſque præſtare poteſt? Medicina calorem balſami naturalis, liquoremq; ſalis interioris à putrefactione vindicat: Medicina balſamum humanum reddit auctiorem, puriorem, nobiliorem: Medicina longævitatem non ſolùm pollicetur, ſed etiam longævos reddit. Cedò Mome, quid nobis obgannis? exempla te convincent, ac pudore ſuffundent. Tu verò, qui temerè oblatras, & Medicos illudis, fructum Medicinæ ne tantillum quidem percipies unquã: nam neque honore debito Medicum à Deo creatum proſequeris, neque mediis honoratis valetudini tuæ languenti ſuccurris: immò

ſuâ

uâ Medicum dignitate, inſtar ſceleſtiſſimi uris ſpoliare, atque exuere nonnunquam onaris..

V.

Dicam clariùs, ne quis carpendi anſam rripiat, cauſæ inteſtinæ interitus noſtri faalis propinquæ tres ſunt:

1. Naturalis ſiccitas & frigiditas, quæ conngit humoris radicalis depaſtione, & calos inſiti vel imminutione, vel ſuffocatione, ıedicâ manu in calidum & humidum con. ⁊rti poteſt, reſiſtendo medicamentis calecientibus, moderatéque humectantibus, on modò parte Medicinæ diæteticâ, ſalubri no, quiete oportunâ, ſomno decenti, bal⁊is, juſculisque ſalubriter præparatis, & aroıate temperato conſperſis, ut quoddammoò adjuvetur, confortetur, ac foveatur imbellis partium attractrix facultas.

2. Altera cauſa hoſtis vitæ inſidiantis, quē omo in ſinu fovet, eſt indeſinens effluvium bſtantiæ, ex qua conſtamus, partium ſci⁊et, humorum & ſpirituum. Veri & genui, non ſuppoſititii Paracelſiſtæ juventutisge⁊rationem certis medicamentis reparant, a ut veteri capillitio, cute, unguibusque ojectis tota corporis moles denuò rejuveſcat; Quin & theſauri corporis difflatio⁊m atque exhalationem Medicus inhibet retardat frictionibus, fomentis, unctioni-

Cæterùm cauſis internis, utpote prioribus, diſcuſſis, progredior ad poſteriores & externas, quippe quæ hominis conſtitutionẽ conſequuntur, eandemque progreſſu ætatis, modò magis, modò minus, pro utendi modo, &pro diverſitate individuorum alterant, quæ cauſæ potiſſimùm ſex rerũ non naturalium numero comprehenduntur, quæ minus convenienter adhibitæ ſanitatẽ deſtruunt, fiuntque cauſæ morborum externæ, ſeu προκαλαρκτικαὶ, primitivæ, interiorumque cauſarum imitatrices.

Circa finem ſubjicitur dictorum ἀνακεφαλαίωσις, continens cauſas pleraſq; omnes, quocunque modo ad vitam vel prorogandam vel imminuendam facientes. Et cum multa ſanitatis ſtudioſum obſervare deceat, quæ quidem obſervari poſſunt, de ſtudio ſuo nemo remittet, qui honore ſenectutis, quem omnes exoptamus, & deſideramus, ornari cupit. Quamvis enim nonnulli ſint valetudinarii, de ſpe tamen ſua non decident, dummodò rem aſtu ſic gerant, ne ſibimetipſis defuiſſe videantur. Si namque balſamus radicalis in graviſſimis morbis proſtratus erigi, roborantiumque fulcro ſuſtentari, ali, & augeri poteſt, quidni in corporibus ſanis, & à vigore deflectentibus, idem ſic attemperari poterit, ut in complures annos

s, inſtar alicujus ceræ, & aërii tenacisque
ci, calorem externum attrahentis, à cor-
ptione ſalvus perſiſtat. Atque hæc potiſſi-
m prima pars hujus libelli, quam Theo-
icam generalem inſcripſi, complectitur.

CAPUT II.

quo diſputatur, quod vitæ termini arte Medica prorogari poſſint.

Aleni tempore Philoſophus qui-
dam peculiari libro, homines, non mo-
neceſſitate naturali, evincere conatus eſt,
l ignorantiâ faciendorum: ideóque, quo-
do aliquis in totum ſenectutis exors per-
nere queat, alios docere voluit: hoc ſi ob-
uiſſet, non difficulter vitam quoque im-
ortalem reddere potuiſſet, ſiquidem ſene-
is nihil aliud eſt, quàm via ad interitum
corruptionem viventis. Verum cum nec
e Philoſophus ſenectutem gracilem ſic-
mque evitare poſſet (nam cutem pendulã,
dam ac circumtentam circumferre coa-
is eſt) ubi vix octuageſimum ætatis annum
endo attigiſſet, non immeritò quidem ri-
i ſeſe expoſuit omnibus. At cum adhuc eſ-
in vivis, errorem ſuum enormem nonni-
l agnovit, alteramque ſuam de hac materia
itionem, de admiranda illa ſenectutis evi-
tione, inſcripſit, in qua diſſeruit, non o-

mnem quidem hominē ſenectutis exortem permanere poſſe, ſed naturam requiri idoneam, maximè ſi primum à teneris oblatum alimentum ejusmodi fundamenta ſtrueret. Promiſit enim, ſi idoneis & ſalubribus naturâ infantibus ſtatim ab initio præficeretur, ſe ipſorum corpora immortalia facturum eſſe. Et revera promiſſio ipſius redargui non poterat! antea enim quàm pueri in viros evaderent, quos videlicet ſuſceperat, ipſe moriturus erat. Sophiſta hic jactabundus, lucrum quærens, promiſſis ſuis forſitan ſtetiſſet, ſi & ipſe prius rugas & faciei plicas, canitiem, & deſtructionem à ſe ipſo avertere atque amoliri potuiſſet. Sed non hoc, multò minus alterum præſtare valuit, ἄλλων ἰατρὸς, ἀυτὸς ἕλκεσι βρύων Ac ſine dubio ſenex iſte moriturus obitus ſui culpam in ſuos educatores ac nutrices imprudentes, vel certè in prima iſta fundamenta ſeminis ac ſanguinis materni derivavit.

Sed miſſis iſtiusmodi ineptiis ad diſputationem nos accingamus, in qua primum affirmativam partem tuebimur, humanæ vitæ terminos ſubſidio medico prorogari poſſe, aliquot argumentis ac rationibus propoſitis. De hinc Antagoniſtarum ἀντιπίπτοντα producta diſſolvemus,

Quod

I.

Quod poteſt cauſas ſanitatis&vitæ produ-
ices & conſervatrices procurare, & vali-
ıres reddere: cauſarum verò injurias cor-
npentes ac deſtruentes avertere ac pro-
ſare, illud ipſum vitam producere, mor-
ıq; differre poteſt: Medicina hoc præſtat,
;o vitæ terminos protrahere poteſt.
Minorem probo, videmus eos, qui ſanita-
:auſas diligentiùs obſervant, morborum
ırocreatrices opportunè declinant & cor-
ınt, plerunque ad decrepitam ætatem
venire, quod non fieret, niſi in curanda
:odiendâq; bona valetudine eſſent ad mo-
n attenti ac circumſpecti. Et viceverſa
:mus Lurcones, qui nec diætæ, nec me-
ımentorum ullam conſiderant rationem
·unque breviori vitæ curriculo interclu-

Quidam interrogatus, cur tàm diu vi-
ɛt, reſpondit; nihil crudi comedi,
le ſemen conſervavi, me calidum te-
, & ita conſenui. Circumferuntur
c inde in Autoribus aquæ pretioſæ,
rſuli roborantes, & alia complura,
ırum auxilio & uſu homines nonnulli
duntur ultra centeſimum annum vitam
duxiſſe. Ingenuè fateor, quoſdam meo-
ı ægrotantium, qui operâ meâ uſi ſunt,

&

& quos morti vulgus deſtinaverat;animi deliquio collapſos, extinctæ ſopitæque animæ ſpeciem aſtantibus exhibentes, divinâ pariter & humanâ adjutos operâ rurſus emerſiſſe, ex tot animi deliquiis evaſiſſe,& ad ſe rediiſſe. Vides, Domine Lector, quam magnificata ſint opera Domini, ſummi Archiatri, medicis inſerta, quæ ſtultus ac vir inſipiens non intelligit. Aſotos ſanè ac bibulos, præſcripta medica ludibrio exponentes, ſæpiùs Apoplecticos fieri, ſubitamque mortem incurrere cernimus: Suffocant enim nimiis humectationibus inſitum calorem, ſpiritibus ac viſceribus potenti vino tot impotentias inculcant, donec adhuc in vigore ætatis omnes functiones corporis tot violentis injuriis fractas concidere neceſſe ſit. Hinc & ſimpliciſſimum vulgus ſæpenumerò demortui cauſam eruit, nec acquieſcit, donec interitus ac mortis cauſa ſit detecta, & in Solẽ producta: ideoque dicere ſolemus, mors requirit cauſam, de qua homo moriatur; ſive illa ſit naturalis, ſive violenta, ſive ſit manifeſta, vel occulta, ac venenata. Hinc ſæpè ex iis, qui graviſſimè decubuerunt, vireſque priſtinas collegerunt, ſequentia audiuntur verba: hic vel ille Medicus poſt Deum, me ſervavit, & quod ſalvus evaſerim, huic Medico acceptum à me poſt Deum referendum.

Vitam

II.

Vitam procreantia & conſervantia prin-
pia ſunt caloris nativi, humido radicali ſuf-
lti, bonitas atque ubertas: tum eucraſia,
ıalitatumque agentium & patientium ſym-
etria. Utrunque conſervat Medicina. Ergo
rmini vitæ prolongari poſſunt ſubſidio Me-
co. Minorem probo, videmus calorem
ternum Solis, aliarumque rerum amiciſ-
num eſſe calori inſito hominis, huncque
iſto foveri, augeri & conſervari. In acu-
ſimo frigore gratiſſimum eſt Muſæolum
efactum, jucundiſſima ſunt juſcula calida,
num Rhenenſe, nec non aquæ ſublimatæ,
as aquas vitæ nuncupant, ſtomacho & ce-
ɔro ſuaviter arrident. Inſidemus Ther-
s, aut aquæ ſimplici calefactæ non abſque
nma voluptate: inde ſiquidem recrean-
ſpiritus, & calor innatus æquali ſuo ad-
ɔdùm delectatur. Ex contraria parte fri-
ı eſſe narcoticum deprehendimus, calorē
le, adeoque ipſam vitam in calido humi-
ꝗue conſiſtentem, ac perdurantem deſtrui
ue everti multis modis quotidiè experi-
r. Hyeme conſtringuntur membra. San-
s utpote theſaurus vitæ, refugiens ad in-
iora corporis ſe abdit, membra exteriora
ſtringuntur, vis digitorum apprehenſiva
rvatur: ſenſus læditur.

Quot

Quot homines quæsò conquerentes de frigore, quod in juventute perpeſſi ſunt, audiuntur, quantas inde noxas ſanitati ſuæ attractas, per omnem reſiduæ ætatis decurſum non eluendas atque extirpandas ſentiunt, damnumq; inde emerſum aliis aperiunt, ex ſeipſis periculum facere jubentes alios, quod ex uſu fiet. Quid multis? qualitatum conſentientium familiarem congreſſum ex privatione, & earum inimicâ diſſonantiâ & aſymmetriâ perniciosâ cognoſcimus: præpollente enim humiditate facilè exurgunt morbi tartarei & catarrhales: in ſiccitatibus ſqualidis ſanguineque nimis incaleſcente, ſuſcitantur febres acutæ & periculoſæ.

III.

Natura nihil fruſtrà, ſed ad certum aliquem finem omnia condidit: ideòque Deus Medicum & Medium, id eſt, Medicinam in ſui honorem non modò creavit, ſed etiam humanæ neceſſitati conſultum voluit. Etiamſi enim Deus ſtipendia peccati varia peccatoribus ſolvat, & propterea multiplici morborum farragine eoſdem defatiget: Domini tamen miſericordiæ acceptum referendum eſt, quod non planè conſumamur, & quod adhuc aliquid ſimus. Hinc herbæ, quippe

ippe quæ gloriam Salomonicam forma ſua rtim externa, partim interna exuperant, & reliquæ medelæ, in uſum hominis crea-, auxiliares DEI manus ſunt, baculus & lcrum vitæ, immò pars panis quotidiani. am ſub pane quotidiano (ſi ſub eo omne lud, quod ad corporis ſuſtentationem re-uiritur, comprehendi debet) optimo jure on poſtremum ſibi vendicant locum medi-aménta, quæ qui ſeparat, homicidæ nomen neretur, peccando in DEUM ac in ſeipſum ontra quintam Decalogi præceptionem.

IV.

Medicina vera Balſamum radicalem, re-ſtaurat alimentis ſaluberrimi copioſiſsimiq; ſucci, nec ſimile tantum reponit, ſed idem. Cum enim ex iiſdem nutriamur, ex quibus conſtamus, procul omni dubio & balſamo ad ſui nutritionem ex ſalubri cibo & potu nutri-mentum accedet: quid enim nos aliud nu-trit, auget & inſtaurat, quàm balſamus, qui eſt quinta eſſentia ſanguinis, optima & ela-boratiſsima illius portio? Hoc ipſum nō rarò in emaciatis, ac diuturno morbo exhauſtis, vix oſſa trahentibus, lecto per aliquot annos affixis, vides, in quib. humidum ferè univer-ſum eſt abſumtum, qui oculos concavos, col-lapſa tempora, aures & nares frigidas contra-ctasq; ac deforme ſceletum, ſiccū & frigidū exhi-

ſuâ Medicum dignitate, inſtar ſceleſtiſſimi furis ſpoliare, atque exuere nonnunquam conaris.

V.

Dicam clariùs, ne quis carpendi anſam arripiat, cauſæ inteſtinæ interitus noſtri fatalis propinquæ tres ſunt.:

1. Naturalis ſiccitas & frigiditas, quæ contingit humoris radicalis depaſtione, & caloris inſiti vel imminutione, vel ſuffocatione, medicâ manu in calidum & humidum converti poteſt, reſiſtendo medicamentis calefacientibus, moderatéque humectantibus, non modò parte Medicinæ diætetica, ſalubri vino, quiete oportunâ, ſomno decenti, balneis, juſculisque ſalubriter præparatis, & aromate temperato conſperſis, ut quoddammodò adjuvetur, confortetur, ac foveatur imbecillis partium attractrix facultas.

2. Altera cauſa hoſtis vitæ inſidiantis, quē homo in ſinu fovet, eſt indeſinens effluvium ſubſtantiæ, ex qua conſtamus, partium ſcilicet, humorum & ſpirituum. Veri & genuini, non ſuppoſititii Paracelſiſtæ juventutis generationem certis medicamentis reparant, ita ut veteri capillitio, cute, unguibusque abjectis tota corporis moles denuò rejuveneſcat; Quin & theſauri corporis difflationem atque exhalationem Medicus inhibet ac retardat frictionibus, fomentis, unctioni-

C bus,

bus, in conſideratam ſacrificationem interdicit, inconvenientem phlebotomiam prohibet, impudentiſſimorum Agyrtarum pharmaca violenta atque exitioſa prudenter abhorret, ac relegat, ſudoris profuſionem intempeſtivam, ut & exercitia, laboresquè importunos, ac minus profuturos diſſvadet. Cæterùm humores utiles ac puros Medicus ἰσχίμων conſervat, impuros ac ſupervacuos ſegregat, emendat, deperditos reſtaurat, tùm alimentis adæquatis; tùm pretioſis pharmacis. Quid dicam de ſpirituum refectione, quos extenuatos, atq; evaneſcentes revocat, aquisque ſuis tenuibus amabilem odorum ſuavitatem, fragrantiamque ſpirantibus, in momento, exuſcitat? Impuros verò ſalubris aëris inſpiratione & arteriarum perſpiratione, nec non odorib. homogeneis emendat, aëremq; fœdâ colluvie depravatum ſalubriorem reddit: ſpiritus diſperſos colligit, ac ſtabiliores reddit, oppreſſis ſuccurrit, infirmis robur cōciliat. Vires vitamque medicus ſervat, ægrotumque ab omnibus derelictum, & prognoſtico aſſignatum refocillat, & ab interitu vindicat.

3. Excrementorum proventum quotidianum Philoſophicâ vivendi ratione, partim per certa emunctoria, naturæ deſtinata, deponi jubet prudens Medicus, nec malignam qua-

qualitatem inducere permittit: partim nutrimentis eupeptis,euchymis, tagytrophis,minimúmque excrementitiis,eorum colluviem reprimit. Cunctantes verò ac remorantes ſuperfluitates variis evacuandi generib. adhibitis, de quibus ſuo loco ſpecialiùs agetur, arte ac ſoletia ſingulari, tùm propinquos, tũ remotiores adducit atque educit Ne alicujus morbi poſthac gravioris occaſio ſuboriatur, accuratè circumſpicit, modò hanc, modò illam corporis particulam examinando,ejusq́; temperiem exquiſitè perpendendo,&ſic triplicis ſubſtantiæ jacturam per generalia & ſpecialia remedia,tùmGalenica,tùm chymica,tàm comunia,q̃ ſpecifica artificiosè reſarciendo. Etiamſi verò externæ partim cauſæ, ex parte evitabiles, artis certæ conſtitutionẽ non admittant; ut ſunt ferarum occurſus, morſus, ictus, caſus, vulnus &c. poſſunt tamẽ ſapientiâ Philoſophicâ, quæ magnam cognationem habet cum Medicina, præcaveri, & ubi acciderint, arte pertractari, & removeri.

VI.

Beſtiæ nonnullæ externas injurias propulſant, & quandam certè notitiam plantarum & radicum natura ipſis implantavit: at tu, qui rationalis es, alto ſupercilio media creatoris aſpernaris.

Vnicum tantummodò exemplum affero de cervo: is ſagittas ſibi infixas herbæ Dictamni comeſtione rursùs expellit. Quin & Ariſtoteles teſtatur, Cervos ab aranea vel aliis veneноſis animalibus commorſos, vivorum cancrorum eſu ſalvos evadere. Veronicæ uſum contra ſcabiem à cervo quodam inventum, hominumque poſteritati traditum eſſe creditur. Is enim cum dorſum ſuum fœdâ ſcabie pollutum crebriùs volutaſſet in loco, Veronicâ herbâ paſſim referto, à morbo ſuo liberatus eſt. Quidni etiam in uſum humanũ hanc & alias plantas primarias revocabimus?

CAPUT III.

In quo probabiliter diſſeritur, vitæ terminos præfinitos nullo ingenio medico ulteriùs protendi poſſe.

THeſin, ſeu affirmativam ſententiam eâ, quâ potuimus brevitate, primariis rationibus ſtabilitam puto nunc quid antitheſeos loco inferri queat, Lectorem, ſui conſervationem deſiderantem, informabimus, ne aliorum vanis opinionibus irretitus in avia deflectat, ſuique corporis perexiguam curam ſucipiat. Cur enim naturæ, cui vis nulla inferenda eſt, operam noſtram denegabimus?

bimus? non propterea homicidii crimen incurremus. I.

Cujus rei præfixi ac definiti ſunt termini, illius rei termini nullâ arte, nullaque humana induſtriâ tranſiliri poſſunt. At vitæ humanæ ſtati ac definiti ſunt termini. Ergo extendi non poſſunt.

Statutum eſt omni homini ſemel mori, dicit Scriptura, vox veritatis: quocunque die comederis ex arbore ſcientiæ boni & mali, morte morieris, & ſubtrahetur tibi lignum vitæ, ne vivas in æternum. Quare juſtitiæ divinæ decretum cum ſit ἀμεταμέλητον, & immutabile, ſiquidem Dominus eſt, & non mutatur, inanem operam in inventione pharmacorum, quantumvis ſelectiſsimorum, inſumemus: breves enim dies hominis ſunt, inquit Iobus cap. 14. numerus menſium ejus eſt apud DEUM, à quo conſtituti ſunt mortalium generi termini, qui præteriri non poſſunt. II.

Vita noſtra comparatur in ſacris literis talento ſeu depoſito, hominum uſuræ ad tēpus concredito, quod DEUS, horâ vivendi elapsâ renunciat, ac repoſcit. Si quis ergò vitam, certis limitibus & cancellis incluſam retinere diutiùs vellet, perinde faceret, ac ſi mutuum reddere nollet. Cùm ergò omnia naturæ opera tempus certum ac defi-

nitum ordinem, menſuramque circumſcriptam habeant, quis quæſo, quantumvis continentiſſimus, & ſagaciſsimus metam transgredi poterit? immò naſcentes morimur.

III.

Principia efficientia tùm remota, tùm ꝓpinqua moriendi neceſsitatem evincunt: nã cœli motus duo continui & oppoſiti ab ortu ad occaſum,& ab occaſu in ortum, unde hæc ſublunaria, ad conſimilem poſitum directa, variis alternationibus obnoxia fiunt Quanta enim in microcoſmo exoritur ſympathia,ſole à nobis recedente, cum etiam immanes beſtiæ, injurias hyemis refugientes, latibulis ſe tegant: qua ratione cœlitùs iſta immiſſa projectaque tela à nobis excutiemus, aſtrorumq; influxi dominabimur? Cumq; homo conditus ſit ex limo terræ,deq; omnibus elementis participet, ſatis inde colligitur,quod hominis aſtra motu harmonico,ſympathetico&antipathetico dependeant à ſuperiorib., quodque morbi noſtri nihil aliud ſint,quàm meteora minora ex microcoſmo in macrocoſmum delata: Ex hac inimicitia aſtrorum neceſſarius imminet homini interitus. Quot quæsò morborum agmina, propter quadripartitam anni mutationem,proſiliunt è corpore? quis prudentiâ ſuâ impendentes affectus omnes poterit avertere? IV. Tanta

IV.

Tanta eſt humani ingenii hebetudo, ut in qualitate & quantitate alimentorum & medicamentorum ſumendorum non ſatis accuratam diſcretionem, delectum, uſumq; ſervare poſsit. Licet enim aëre ſpirituum, potu humorum, cibo partium effluvium redintegrare ſummo ſtudio allabores, in tua tamen poteſtate ſitum non eſt, in Republica corporis naturæ opera ſic moderari, ac dirigere, ut optatum finem pertingant: ſiquidem reluctante naturâ, ſupervacanea irritaque ſunt omnia. Quis aërem, ſubtiliſsimum elementum, ſemper ad amuſsin revocare poterit, ſingulis momentis hauriendum? ciborum delectum quis ſatis exquiſitè obſervabit; cùm ſæpiùs occulti quid in ipſo latitet; quod corpori tuo noxam poteſt accerſere, vel te non animadvertente? Qui ſe jactant artifices ac Medicos primarios, enormes quandoque errores in praxi committunt. Quin & ipſe Hippocrates aſſerit, vitam brevem eſſe, Artem longam, occaſionem præcipitem, experientiam periculoſam, judicium difficile. Quis potum accuratiore trutina examinare poterit, cùm ſæpè præter voluntatem cogaris in ſalubrem cereviſiam, vinum craſſum, aquamvè mineralem bibere, eamque ad eſculenta concoquenda adhibere?

Quære ex iis, qui longiſsima itinera conficiunt, quomodo hi rationem valetudinis ſuæ ſicuti à medicis præſcribitur, inſtituant?

V.

De materia prima nihil dicam, ſed eandem Philoſophicæ contemplationi relinquens, ſecundàm tantummodò leviter attingam. Secunda materia hominis ſunt ipſa Elementa, contrariis inſtructa qualitatibus, luctam inter ſe com mittentibus, & modò invicem agentibus, modò patientibus, ex quarum diſſidio modò intenduntur, modò de intenſo gradu recedunt, unde tandem mixto, utpote homini imminet interitus ac diſſolutio, deſtructis nimirum, quæ contrariorum invicem colluctantiùm actiones ſuſtinent, ſubſtantiis. Quia igitur homo ex Elementis compoſitus eſt, neceſſariò in eadem reſolvitur, ſicque immutabili legis æternæ decreto & neceſsitate quadam inevitabili morietur, & per conſequens humana induſtria ad producendam vitam parùm conferet.

VI.

Manifeſtum eſt, temperatum, omnibusque numeris conſummatum corporis habitum non dari, in quo ſcilicet nihil culpari poſsit, ſed cujus ſymetria conveniens mirificè afficiat, nullique parti claudicans inſit com-

nmenſuratio; ſed omnem hominem à
operamenti integritate exactâ deflectere,
modicum, ſive nimium, liquidò conſtat.
Nam quantò quis ab optimo ſtatu re-
otior eſt, tantò valetudo deterior, atque ad
rporis morbos animique ægritudines la-
us gravior. Ac licet illa perfectio ac poli-
eti regula daretur, quæ meâ tamen ſen-
ntiâ denegatur, ſoli Chriſto aſſignanda,
men interitus tandem metuendus. Quid
unc opus eſt, propter morulam iſtam viven-
i paulò diuturniorem, Medicorum præce-
tis rigidis, quæ nec ab ipſis Medicis obſer-
antur, morem gerere, & naturam genio
uo defraudare?

VII.

Multi fuerunt ferè conſummatiſſimi Me-
dici, qui omnes ſuas actiones mirâ dexterita-
te aggreſsi ſunt, ægrotantibus hæc & alia cũ
laude præſcripſerunt, & in virili tamen æta-
te, quæ vigori aſſignatur, ipſimet ſuaſores
occubuerunt. Admiranda ſcripſit ac po-
ſteritati reliquit Paracelſus de conſervatione
rerum, de vita, de ſecretis medicamentis,
certè ſi illa eſſent probata, & veritati conſen-
tanea, tunc ſemetipſum ab interitu vindi-
caſſet, vel ipſorum ope diutiſſimè vive-
re ac ſupereſſe potuiſſet: ſed vix virilem æta-
tem attigit, & præmaturâ morte vitam fini-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III ROMA

vit. Galenus vix ad ſexageſimum ætatis annum pervenit. Multi multa promittunt, quæ tamen ipſo actu præſtare non poſſunt; ſiquidem verba Phalerata & ſeſquipedalia non juvant, ſed opus artificem commendat.

VIII.

Quantam nauſeam hominibus inferant medicamenta teſtantur illi, q; mori malunt, quàm aliquo uti medicamento, quantumvis ſalutari. Multos reperies à pharmacis adeò abhorrentes, ut ad eorum mentionem vomitu & ructibus laceſſentur. Alii incurrunt in deliquium animi, & ferè expirant, quando ipſis aliquod obtruditur medicamentum. Quapropter vis nulla inferenda eſt naturæ, q̃ naturali impotentiâ vehementiùs averſatur pharmaca: & per conſequens uſus illorum negligendus.

IX.

Salubriùs ac ſubtiliùs nutrimentum, cum faciliùs ac citiùs in corpore diſſipatur, craſſiori poſtponendum, cum iſtud non ſit tàm aptum in ſolidam, denſam, firmamq; ſubſtantiam tranſire: hinc accidit: quod nutritio illa non ſit adeò ſtabilis ac conſtans: nã ſuccus τῶν ἐυλιαφορέντων aërius citò in halitus diſſipatur, ac digeritur, ut non multò poſt alio rursùs opus ſit cibo: inde fit, ut ſæpiùs ſit

ſit nutriendum, adeoque ex ſubita iſta & frequente alteratione natura magis affligitur, quàm ex durabili nutritione, per craſſius alimentum factâ. In hanc ſententiam *Hippocr. lib.* 1. *aph.* 18. ſic ait: eorum, quæ confertim & celeriter nutriunt, excretiones quoq; celeres fiunt. Hinc Celſus inquit *lib.* 1. *cap.* 1, ſanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet: nunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri eſſe, modò in urbe, ſæpiùs in agro, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere; nullum cibi genus fugere, quo populus utitur, interdum ſe ab eo retrahere: modò plùs juſto, modò non ampliùs aſſumere: bis die potiùs, quàm ſemel cibum capere, & ſemper quàm plurimùm, dummodò hunc concoquat. Hinc labeſcere videtur tota diætetica.

X.

Videmus Heluones nonnullos, & ex parte eos, qui in juventute per immoderatum Veneris uſum plurimùm vitalis ſucci profunderunt, vivendi regulas adunco naſo ſuſpendere & ad multos annos pervenire.

Ergò

Ergo medicorum regulas qui arripit, atque obſervat, minùs vivax futurus eſt, quàm qui quotidiè in eaſdem liberiùs impingit. Et vice versâ permultos cernas, qui quã plurimã devorantes medicamenta, omnesque fermè pharmacopœi Pixides exhaurientes ac deplentes, non diu durant, ſed citiùs, quàm alii, fatali parere neceſſitati coguntur.

II.

Quiſnam Ruſticis præſcribit diætam, & licet præſcribas, quis eſt, qui dicto ſit audiens? Hinc Ruſtici deſpicientes diætam, panem atrum avenaceum comedentes, caſeos cote duriores cum delectatione atterentes, carnemque bubulam, diutiùs fumigatam, ore avido confertim deglutientes, ſtomachoque ſtruthionico feliciter conſumentes, vivaciſſimi ut plurimùm evadunt, quos ovorum tremulorum, piſciumque ſaxatilium oblatione maximoperè offenſurus, eorumque ſaluberrimum habitum, ſtatumq; athleticũ in deterius, alimenti craſsioris ſubtractione, tranſmutaturus, eosque à munere triturandi, quod aliàs alacriter ſubeunt, ſubtiliore & minùs conſvetâ diætâ avocaturus eſſes. Quin & aquam & ſerum pro reſtringvenda ſiti, qui tamen potus inſitum calorem potiùs extinguere, quàm corroborare videtur, quotidiè aſſumunt.

munt. A cibo ſumpto ſtatim ad labores
iores ſe convertunt,parvipendendo,num
aletudine, dummodò ex re ſit. Quid de
orum purgationibus commemorem? ma-
na Ruſticorum pars neque Vere, neque
tumno, immò per totum vitæ decurſum
llam evacuationem, ex officina medicâ
titam, adhibet, immò de ea nemo eorum
è ſolicitus eſt. Tantos labores corpora
ſorum per conſuetudinem ſuſtinent, ut, ſi
ii fortè in morbũ leviuſculum inciderint,
gritudinem ſuam ſenſu dolorifico non per-
piant, ſed conſueta munia ſubeant. Non-
unquam venæ ſectionem, ſed proprio ac
ræcipiti auſu ſuſcipiunt,unde proverbium:
odem te modo res hæc invadit, quò ruſticos
niſſio ſanguinis; (de conſilio inconſiderato
nox in actum erumpente) increbuit.

XII.

Multi, præſertim tenuioris fortunę ho-
mines citra opem medicam ſanitati priſtinæ
reſtituuntur, non ſolùm abſtinentes à phar-
macis, ſed etiam ſæpiùs ab omni cibo & po-
tu, ut divinum tantummodò auxilium in
morbis videatur implorandum, humano
prorsùs neglecto. Cum namque omnis mor-
bus vel in vitam, vel in mortem neceſſariò
deſinat, dabitur utique neceſſarius & fatalis
terminus.

terminus. Sed hoc ipſum atteſtante & comprobante experientiâ negari nequit. Ergò Medicina nullius erit uſus: nam ſi in vitam u trò, naturâ ductrice, deſinit morbus, ſuplervacaneum eſt, implorare opem medicâ: quod enim per pauciora geri poteſt, per plura non tentandum, Sin deſinit in mortem, rurſus labor Medicus, ſuppetias ferre naturæ volens, fruſtraneus erit, quoniam naturam evictam ſuccumbere neceſſe eſt,

XIII.

Diuturnior vita, proſpera valetudo & convaleſcentia è ſola benedictione divina dependent, atque in noſtra poteſtate ſitum non eſt, huic vel illi ſanitatem polliceri inculpatam, vitamque longævam. Hoc ipſum comprobatur exemplo Patriarcharum, qui olim præter ſingularem DEI benedictionē, & revelationem frugalitate ac noticia arcanorum Mediorum tot annorum Centurias ſuaviter ac ſalubriter exegerunt: quæ benedictio & ſingularis revelatio noſtro ſeculo denegata eſt: ideoque ratiunculam humanam, multiplici ratione corruptam, in conſilium adhibere volens in vanum laborabit. Sic in peſte, cujus janua ſignata eſt, & cujus nomen inſcriptum eſt libro divino, is etiamſi omnibus arcanis & Antidotis utatur, vel non utatur, ſervari nequit.

XIV. Et-

XIV.

Etiamſi eſculentis, potulentis & medicamentis efficaciſsimis corpus reſtaurare nitaris, inanem tamen inſumis operam: non nulla ratione reſtituitur in integrum balſamus, nec frena ſibi injici patitur, ſed in progreſſa ætatis in deterius vergit. Præterea univerſa natura ob lapſum hominis maledicta eſt. Hominum petulantia in hac mundi ſenecta adeò ingraveſcit, ut vix milleſimus religionem ſuam fructibus fidei, honeſtis actionibus & charitate in proximum exercendâ comprobare atq; exornare velit. Hinc putida iſta membra citiùs amputantur: nam impietas neque promiſſionem hujus neque alteriùs vitę habet. Tanta ſordities plerorũque animos ita invaſit, ut quò minùs viæ eſt reliquum, eò plùs viatici quærant per fas & nefas: hinc meritò vocem divinam coguntur audire. Viri doloſi non dimidiabunt dies ſuos *Pſalmo* 55. *&* *Deuteron.* 30. ſi adoraveris DEOS alienos, & ſervieris eis, pereundo peribis, & non prolongabis dies ſuper terrã. Et ad divitem avarum inquit Chriſtus: Stulte, hac nocte requiram abs te animam tuam. Qui igitur audire cogeris vocem Chriſti, fruſtrà implorabis opem Medici: nam adverſus Dominum non valet ullius hominis conſilium.

XV. Tri-

XV.

Tritum eſt illud, quod ſapit, nutrit: ergò præcepta diætetica, quæ ad longævitatem facere dicuntur, prorsùs exterminanda, cùm melius ſit genio ſuo in eligendis cibis indulgere, quàm ciborum inſuavitate vim naturæ inferre, eamque deſtruere. Abrogatâ diæta, abrogabitur tota Medicina: nam inter triâ iſta inſtrumenta, quæ ad expugnandam & obtundendam morborum vehementiam à Medicis adhibentur, primæ partes aſſcribuntur diætæ, quippe cujus beneficio vires, quibus absque fruſtrà morbum debellatum eunt, conſervari, augeri, & emendari cenſent: morbum verò, ſi diæta ſit accommodata & congrua, inde frangi, imminui, atque aboleri exiſtimant. Quomodò verò diætâ, ad lubitum cujusvis inſtitutâ, quæ ut plurimum vitioſa eſt, hoc obtineri poterit?

CAPUT IV.

In quo contradictoriæ ſententiæ de prolongandâ vita conciliantur, & vera tandem ſententia eruitur.

I.

DIſtinguendum eſt inter terminos hyperphyſicos, & inter terminos phyſicos.

Termi-

rminos præternaturales quod attinet, ſci-
dum, illos quidem nobis præfixos eſſe à
E O, menſiumque numerum ab eodem, ut-
ote liberrimè agenti deſignatum, capillos-
e capitis cujuslibet hominis eſſe dinume-
itos, immò minutiſſima animalcula ſuam
abere deſtinatam horam, quam procraſti-
are impoſſibile eſt. Divina namque provi-
entia, quæ univerſaliter non ſolùm genera
ingulorum ſed & ſingula generum concer-
nit, falli & mutari nequit, Non tamen ſim-
pliciter & abſolutè fatali & inevitabili quadã
necesſitate interitus cuilibet animantium, &
præſertim homini deſtinatus eſt, ſed reſpectu
cauſarum ſecundarum: Hinc ex prima cau-
ſa profluit ſecunda. Naturalem igitur cau-
ſam quod attinet, terminumque naturalem,
iſte ſanè à Natura, id eſt, à creatore & uni-
verſali cauſa ſic eſt præfixus, ut non ſaltem à
DEO primariò, ſed etiam poſt DEUM ab ho-
minibus ſecundariò mutari, promoveri, im-
pediri, & à DEO ſuſpendi queat, prout ipſi
viſum fuerit: promiſsionem habes Exod. 23.
ſervies Domino, DEO tuo, & numerum die-
rum tuorum complebo. Sed & à Theologis,
qui Phyſicam didicerunt, negari non poteſt,
terminum quendam vitæ domeſticis princi-
piis ac ſemini eſſe inculcatum, in quo ut ab-

D rumpendo

Digitized by Google

rumpendo voluntatis ac voluptatis humanæ libido, ita in eodem dilatando & propagando artis humanæ prudentia plurimùm valet, piis præſertim precibus adjunctis: Licet Deus non rarò pios maturè avocet, ob cauſas nobis prorsùs incognitas.

Neceſſariò quidem moritur homo reſpectu divinæ voluntatis & decreti divini immutabilis, Deique prævifio non ſeparat media à fine, ſed cùm mediis tàm vitæ quàm mortis eſt connexa.

II.

Mors hominis certa eſt, hora verò incerta: interim explodenda eſt ſtoliditas hominum, qui repudiatis mediis ordinariis fato omnia relinquunt, aſſerentes: ſi à Deo & vita & ſalus noſtra dependet omnis, quid opus eſt medico & medelâ? Siquidem abſque hac, ſi Deus voluerit, vires meas recolligam, hac ratione avaritiam ſuam palliare volentes, nè quid ſumptuum impendere cogantur. Hinc accidit, ut plures ejuſmodi glires ſuâ culpâ moriantur, Deo quidem nolente, ſed tamen permittente. Sordeat igitur, qui ſordeſcit, & bona ſua aliis, qui rectè illis uti poſſunt, relinquat. Cæterùm & hoc libenter concedo, & atteſtor, vitæ terminum, qui in ſpecie unicuique animanti ſtatutus eſt, præteriri non poſſe, reſpectu divinæ voluntatis, quæ tamen neceſſi-

ceſsitas non eſt omni modo abſoluta, mul-
minus coactionis, ſed conſequentiæ: Ve-
ntamen in individuis & ſingulis ob varia
mperamenta, variamque vitæ rationem
rminus vitæ diverſus eſt. Sic cui dura ac
ifficilis vitæ officiique provincia incumbit,
eleriùs moritur, quàm qui tranquilliorem
onditionem nactus eſt. Hoc ipſum norunt
ulici nonnulli, qui diteſcentes Aulæ va-
edicunt, vitamque pacatam quærunt. Ci-
iùs obire diem ſuum Cholericus poteſt, quā
anguineus, ratione complexionis ignobilio-
ris. Et vice verſa citiùs ſanguineus poteſt oc-
cumbere, quàm cholericus, is quidem ſi ra-
tionem ſui negligentiorem gerat: hic verò
ſi magis ſit circumſpectus. Sic accelerari po-
teſt mors, quæ vi morborum, non quæ ſpon-
tè naturæ accidit.

III.

Tanta eſt, fateor, συμπαθεία cœli & Ele-
mentorum, ut neceſſe ſit hæc inferiora variis
intricari mutationibus: ſiquidem lumine,
motu & influentia ſeu occultâ efficaciâ in hęc
ſublunaria cœlum agit: interim tamē volun-
tas hominis, quæ ſui juris eſt, non cogitur ad
hæc vel illa perpetranda, aliàs veræ religio-
ni & veritati contradiceremus.

Aſtra quidem inclinant, & in corporibus hominum inclinationē quandam concitant, ſed nullam afferunt rebus humanis neceſſitatē. Hinc non rectè colligitur: hujus hominis Geneſis inclinat ad mortē præmaturā, ad mortem violentā. Ergò ex neceſſitate ſic eveniet. Tuum eſt, cui voluntatis libertas conceſſa eſt, illā inimicam conſtellationē & inclinationē auxilio Spiritus S. quotidianis precibus impetrato diligenter avertere, circumſpicere, omnisque generis injurias, vitæ inſidiatrices, quantum in te eſt, amoliri, ac propulſare.

Si in te ſentis inclinationem ad pocula, quæ ſanitatem quantumvis Achilleam evertere, mortem ſubitaneam accerſere, putrefactionem Epatis aliaque incommoda plura invehere poſſunt, tuum eſt, ſi ſanitatem conſtantem expetis, nō magis ad ebrietatis vitia inclinare, ſed in contrarium, nempe ad ſobrietatis cultum reniti, vitioſæque cupiditati reluctari, & piè honeſteque agendo, exemplaque continentiſſimorum præfigendo, tàm diu malæ propenſioni repugnare, donec naturam correxeris: quod etſi difficile eſt, non tamen impoſſibile.

IV.

Negatur, quod in qurta prioris capitis poſitione aſſeritur: nam artificiali ἐυςοχίᾳ medicus

us ſagax & exercitatus tanta ſæpiùs præ-
re poteſt, ut homines ad ſtuporem ſuiq́ue
miratiónem alliciat. Videat modò æger,
edicoq́ue indigens, ne ſibimetipſi defuiſſe
deatur.

Nam ad bonæ valetudinis præſidia re-
uiritur etiam idonea natura, qua reluctan-
:, ſine tuo partim fruſtraberis. Oportet et-
im quemvis præſtare ſeipſum, ut opportuna
aciat. Fateamur & hoc, occaſionem eſſe mo-
nentaneam & lubricam in omni actione me-
lica, ideoque principiis eò ſeriùs obſtabis,
nam temporibus medicina valet; immò in
omnibus actionibus occaſionis obſervanda
ſunt commoda. Fallax eſt etiam experientia,
& in ſubjecto tàm nobili periculoſa: ſed Me-
dicus ἐυσχήμων raró fallitur. Aſini iſti rudes
verberibus digni, meri experimentatores, al-
terutro crure tantùm nitentes & claudican-
tes, nebulones piſtrinis ac patibulo digni fal-
luntur: iſti Agyrtæ, & medicelli, ſimiarum
oſtentatores ac deceptores decipiuntur, quia
opportunum tempus non vident, naturam
corporis, occultasq́ue medicamentorum vi-
res, vix ac ne vix quidem primoribus labris
attigerunt, quas tamen callere volunt. Dabo
Antagoniſtis & hoc, judicium eſſe difficile,
ideoque ut in captanda occaſione, ſagaci-

D 3 tate

tate & vigilantia, ita & in metiendâ quantitate qualitateque, ut & in reliquarum indicationum contemplatione ſolertiâ & prudentiâ Philoſophicâ opus eſt, ſummâque judicii dexteritate &acrimoniâ,ut rectè quis dijudicet, quæ ad humanæ ſalutis tutelam requiruntur. Ac licet illa ἐυςοχία τῦ πόσυ difficillima medico videatur, ſiquidem ratione res judicare, non omnibus & vix decimo ac vigeſimo datum eſt: nam ut Hippocrates ait, nomine quidem multi ſunt Medici, reipſâ pauciores: tamen impoſſibilis non eſt: ideoque naturâ non ſtupidos ac hebetes, ſed ſagaces eſſe, qui ſtudium ſuum Medicinæ conſecrant, & à pueris ingenium exercuiſſe oportet.

Cæterùm ſi una atque altera regio minùs arriſerit ſanitati tuæ, mutabis locum, inque aërem locumque ſalubriorem te recipies. Mercatores longiſſima itinera conficientes, in cibo &potu non tantùm moderatiores,ſed etiam in tuenda valetudine complures circumſpecti, ſæpiùs inſtructi peregrinantur pharmacotheculis, unde neceſſaria præſidia ac præſervativa depromere, & errores in victu & itinere commiſſos rursùs corrigere liceat. Ad hæc ſæpiùs iſtos conquerentes de inſalubri diæta, de tempeſtate noxia, de aëris

ris inclementia, de incommodis hoſpitiis audias, quæ omnia vires infringere, & obitum ante juſtum tempus accelerare poſſunt.

V.

Ad quintam aſſertionem prioris capitis ſic reſpondeo, non in hoc libello meo de evitanda morte, ſed de retardanda morte tractari. Communes namque interitus cauſæ ſunt contrariorum, quibus viventium corpora conſtant, pugna & actio irremiſſa caloris inſiti, humidum depaſcentis. Sed & hæc contrariorum lucta prudentiâ noſtrâ ſic poteſt inhiberi, moderari, actionesque caloris innati ſic corroborari ſubſidio noſtro poſſunt, ut ſatis diu perſiſtant. Quapropter senectutis marcorem exolvere impoſſibile eſt, auxilium verò ferre, ut quàm diutiſſimè extendatur, poſſibile: poſſumus enim humanâ ſagacitate & opera inſtare ac prohibere, ne cordis corpus adeò exiccetur, ut ab actionibus celeriter deſiſtat. Hîc enim profectò vitæ terminus eſt operotionis cordis quies: en quid aliud ſibi volunt cordialia & Epatica medicamenta, & alia, quàm ut iſtorum viſcerum ſubſtantiam temperiemque convenientem in vigore ac nitore naturali conſervent?

VI.

Exactus corporis habitus ac conſtitutio, in qua omnes ſenſus. inſitæq; facultates ſummoperè vigent, indeque functiones ſuas ac munia citra ullum incommodum obeunt, licet rariſſimè exhibeantur: mens tamē ad abſolutum corporis ſtatum dirigenda, & tanquam ad lapidem lydium reliqui habitus, à temperamenti integritate deflectentes, examinandi, ita ut, ſi quem receſſum ab optimo ſtatu deprehendis, eundem tamen exprimere, quoad ejus fieri poteſt, procures, aut quàm proximè ad ipſum accedas: in præſtantibus namque rebus magna ſunt ea, quæ optimis proxima, & in ſecundis ac tertiis cōſiſtere pulcrum eſt. Hoc ipſum in Medicorum præceptionibus, rigidioribus quoque tenendum, quibus, ut quidem debebas, morem gerere in omnibus licet non poſſis, nihil tamen de induſtria tua remittendum, ſed annitendum ſedulò, quò magna ex parte easdem obſervaſſe, genioque tuo non indulſiſſe videaris. Quod denique de Medicis nonnullis objicitur, qui & ipſi non admodùm ſoliciti ſunt de diæta, hi in majorem incurrunt reprehenſionē, quàm alii, quibus temperantia præſcribitur. Sunt enim nonnulli tanti adulatores, ut in gratiā ægrotantium,

à quibus

uibus lucrum aucupantur, quidvis facere, rel ipſorum matulam exorbere non erucant, hos inſulſos ac ſpurios Medicos aliatiam perſtrinxi in conſilio meo Antipogrico, quos ego certè floccifacio, melionque mentem ipſis precor.

VII.

Plures ſunt cauſæ, de quibus Medici ſortiſsimi, in praxi aliàs feliciſſimi, in vigore atis expirent: 1. pœna divina, tanta namue eſt ingratitudo hujus ſeculi, ut ſummâ otiùs commiſeratione, quàm verbis aſpeoribus opus habeat: indignum ſanè ſeculú ot eximiorum virorum ubertate; ideoque ræmaturo obitu complures abripiuntur, ne ot ampliùs injurias & moleſtias mundi imnundi devorare cogantur. Paracelſus ad anios complures ſupereſſe potuiſſet, niſi nonnullorum Pſeudomedicorum fraude ac veieno fuiſſet extinctus. 2. Altera cauſa eſt aborum exantlandorum moles: Spiritus nim vitales, è quibus animales procreantur, neditationibus aſſiduis ac ſeverioribus diſſipantur & abſumuntur, unde vitale robur rangitur ac diſſolvitur. Galenus tot labores in aureo ſuo & admirando opere ſuſtinuit, ſimulq; innumeros ægrotantes ope ſuâ quo-

tidiè ſublevavit, ut equidem mirer, quomodò inter tot onera, fragilem animulam in debili corpuſculo fovens, ætatem ſenilem attingere potuerit. 3, Tertia cauſa eſt hominum incõſideratorum, qui peſtilenti veneno correpti Medicis id ipſum clanculùm obtrudunt, & hoc pacto ingens homicidium committunt, auxilio medico innumeros alios defraudando. Novi ipſemet multos paſsim ſenio confectos Medicos in præcipuis urbibus & Academiis, qui functiones ſuas adhuc inoffenſis viribus alacriter expediunt, quorum recenſendorum ac commendandorum occaſio & facultas ſi concederetur, vix hæc charta ſufficeret.

VIII.

Experimur, multos medicamenta adeò obhorrere, ac vehementiùs averſari, quàm decebat, nauſea iſta ſæpiùs ex nimia imaginatione, ſæpè etiam ex corporis ſtomachiq; cacochymia immenſa promanat, quæ utilia admittere recuſat, ſed in corpore diutiùs aſſervari, eademque augeri gaudet. Locum habeat admonitio Ciceroniana: nulla medicamenta tàm faciunt dolorem, quàm quæ ſunt ſalutaria. Monendi ſunt Medici, ut in ſuis curationibus cogitent de jucundis pharmacis admovendis. Cur tot ingratiſſimos

pulve-

pulveres confundis cum conſerva, ut horrorem mihi incutiant? Vidi & odoratus ſum profectò apud miſeros ægrotantes tot abominabilia apozemata, & potiones ſudoriferas, aliquot libris conſtantes, admodùm craſſas, ſubnigras, lutoſas, injucundas, & nauſeabundas à craſſioris cerebri Medicis præſcriptas, ut ipſemet, vomitum difficulter reprimens, eaſdem viſas abhorrere ac damnare coactus fuerim. Mome naſutule, quas nec primoribus labris attingis potiones, illas ipſas inſtar alicujus carnificis deglutiendas, adeoque ἀπνευστὶ evacuandas ſeverè injungis ægrotantibus miſeris ac proſtratis. Bone DEUS, tot juſcula, tot fictilia methodo prolixa, exquiſitiſſimâque, ad ungvem exantlanda (ne me invites) quæ vel ipſi Marti terrorem incuterent: tot inſuper pilulas amaras, ſexcentas, tot globulos, quibus integer exercitus fugari poſſet, ſulphureos, fœtidos, impari numero (divinò ſanè) productos, diductis faucibus ſubitò deglutiendos, cum majeſtate imperas. Diſcito quæsò meliora, extrahito eſſentias ex corporibus craſsis, nec nates ſemper tingito ac lingito ſolis clyſteribus.

IX.

Quemadmodùm varia ſunt temperamenta, ſic

ſic diverſa quoque diæta præcipienda: nam aliâ diætâ indigent Ruſtici ac bajuli, nimirùm nutrimento craſſo & ſolido, quod non facilè diſſipatur, ſed ad labores duriores ſuſtinendos idoneum eſt: aliam diætam deſiderant literati, & tenerioris naturæ homines, quibus potiùs labores animi, quàm corporis ſubeundi, talem ſcilicet, quæ apta nata ſit citiſſimè in ſanguinem calidum, ac tenuem, tandemque in vitales abire ſpiritus: hinc Ariſtoteles inquit: ἐςι δὲ ἰχύος μὲν ποιητικώτερον τὸ παχύτερον αἷμα ϗ θερμότερον: αἰσθητικώτερον δὲ ϗ νοερώτερον, τὸ ψυχρότερον ϗ λεπτότερον, id eſt, craſſus ſanguis corpori robur conciliat, tenuis v. & ſubtilis ſentiendi vim auget: nam ad generationem ſpirituum animalium, unde mentis functiones procedunt, requiritur ſanguis purus, & aërius qui ex nutrimento ſalubri & ſpirituoſo comparatur, qualem ſi bajulis ac robuſtis offerres, ad onera ſufferenda, geſtenda vel quovis modo tractanda, magis ineptos ac inutiles redderes. Cæterùm Hippocrates in citato prioris capitis aphoriſmo de alimentis convaleſcentium loquitur, mihi jam res eſt cum ſalubrium hominum alimentis. Sed & Celſi ſententia non quamlibet diætæ licentiam invehit, ſed ſummum in ea decernenda rigorem vituperat: Videat

enim

enim quivis, ne in ſecunda valetudine adverſæ tandē adventuræ præſidia profundantur, & conſumantur. Sanus enim cibo aliquo deteriori, ſed jucundo quandoque veſcens, adhibito exercitio, vino & adminiculis aliis defectum commiſſum reſarcire poteſt. Videmus quotidiè, nonnullos adhuc ſanos ab hoc vel illo cibo maximam offenſionem pati: ſæpiùs etiam audivi quoſdam ab inſalubribus diverſiſque eduliis ſimul aſſumtis interiiſſe. Nemo itaque ſuis viribus & ſtomacho nimiùm confidat.

X.

Si Heluones nonnulli, regulis diæteticis planè neglectis, ad longævitatem perveniunt, quod tamen perrarò contingit, illud bonitati naturæ aſſcribendū eſt, quàm ſi ſequerentur ducem, ad longè plures annos ſine moleſtiis & morbis eſſent perventuri. Bonitatem naturæ inde colligere licet, dum ejusmodi liberioris diætæ homines ſæpè fiunt arthritici, & podagrici, quorum morborum dolores tanta patientia ſæpiùs abſque ullo pharmacorum uſu perferunt atq; obdurant, ut cathenatâ quadam annorum aliquot ſubſequentium ſerie dolores recurrentes parvi pendant, & mancipiorum inſtar non adeò percipiant.

Conſtat

Conſtat etiam, complures frugaliſſimos, & à Græcorum luxuria remotos, vitam tùm firmiorem, tùm ſvaviorem tranſegiſſe, quàm qui neglectâ diætâ cruditatib. ſe repleverunt, nullamq; diligentiam in valetudinem ſuam contulerunt. Sunt autem nonnulli valetudinarii brevioris vitæ, & à primo exordio debiles, qui pharmacis corpus aſſveſcere coguntur: cum verò fine non potiuntur optato, tunc illud inveteratæ ac nativæ viſcerum dyſcraſiæ, vel Fato, vel imprudentibus Medicis aſſignandum eſt. Neque hoc prætereundum, multos valetudinarios propria temeritate ſibi interitum accerſere, modò hanc, modò illam Medicinam promiſcuè admovendo, proſtratamque naturam modò ſalubribus adjuvando, modò inſalubribus diſtrahendo, & corrumpendo, modò vetulam conſulendo, modò circumforaneum advocando.

X.

Ruſtici quidem ut plurimùm robuſtiſſimi & vivaciſſimi ſunt, ſed inſcii ipſi ſummas diætæ præceptiones obſervant, genio non indulgentes, nec variis cibis ſtomachum gravantes. Ad hæc impigri ſunt ad labores, quod Hippocratis præceptum ſæpè inculcatur:

nam

nam ignavia corpus hebetat, labor firmat, cum plus caloris & ſpirituum per convenientia exercitia excitetur, quod ſubſidium vitâ deſidioſâ ſuffocatur atque extinguitur.

Præterea cibus copioſior præter naturam ingeſtus efficit morbum, quem tamen Ruſtici & bajuli, à diætæ regulis regreſſuri, laboribus ſubſequentib. facilè præcavebunt. Ferculorum varietate, utpote inſigne corporibus detrimentum affricante, amplamque morborum ſegetem invehente, Ruſtici non gaudent, ſed cibo ſimplici ſunt contenti. Varietas enim iſta & cœna dubia licet delectet, vitio tamen haud vacat, cum ex repugnantium humorum, à diſſimilibus cibis exortorum, diſcordia morborum ſemina ſpargantur, confuſis ac turbatis in Republicà corporis digeſtionum officinis. Medicamentis utuntur Ruſtici, quæ tamen ipſi non intelligunt, nimirùm ſero caprino, & vaccino, quod locum ſupplet purgantis: nam ejusmodi liquores ſeroſi ſunt πολύχρηστοι non tantùm in cibo, ſed etiam in Medicina. Phlebotomiam Ruſticorum quod attinet, etiamſi, præparatione humorum reliquisque circumſtantiis poſthabitis, illam admittant, parciores tamen ſunt in emiſſione ſanguinis, cùm rariùs venam ſecari jubeant.

Et

Et quia Ruſtici craſſis veſcuntur alimentis, caſeo, oleribus, carnibus & piſcibus fumigatis, paneque avenaceo, unde craſſiores humores progignuntur, non mehercle, inepte facient, ſi quotannis ſemel vel bis ſectionem venæ in alterutro brachio inſtituerint.

XII.

Avari & tenuioris fortunæ homines, morbis correpti, ſi à pharmacorum uſu abſtinentes ad ſe redeunt, & priſtinas vires colligunt, tamen hoc fit per accidens, & hoc eſt tentare DEUM. Nam multi ejusmodi cunctatores & procraſtinatores, media divinitùs ordinata deſpicientes, tandem cum ad deſperationem res redacta eſt, opem medicam admodùm anxiè ſed fruſtrà efflagitant, quaſi verò nos Medici mortuos, aut morti jam deſtinatos in lucem poſſemus revocare. Ipſe Salvator ægros ad convaleſcendum Medico indigere aſſerit, *Matth. 8.* Mediis igitur utendum, ſed non ſolis mediis nitendum, quod in Aza Rege culpat ſacra Scriptura.

Summus Medicus Regem Iudæ Ezechiam lethali morbo conflictantem liberat, vitamque ad annos quindecim prolongat, nihilo tamen ſeciùs imponi mandat buboni peſtilentiali Emplaſtrum è ficubus maturativum.

tivum. Cæterùm Deus medicum & medium non temerè (ſiquidem naturæ opifex nihil fruſtrà condidit) ſed in ſui honorem hominumque utilitatem creavit, adeoque propter neceſſitatem Medicum, cum ſemper ipſius conſilio & opera in hac fragilitate indigeamus, honorari poſtulat: ἰατρὸς γὰρ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Quamvis verò in aliquibus naturæ beneficio morbus diuturnus tandem ſuperetur: id tamen, ut demonſtratum eſt ſuperiùs, nõ aſque gravi decumbentis diſcrimine, moleſtiâ immensâ, virium jactura irreparabili cõtinget, ita ut, qui ſemel abſque ſubſidio medico tantis tempeſtatum procellis agitatus fuerit, & inſtar beluæ rationis expertis, morboſus lecto ad aliquot menſes abſque præſidiis adjutus, fuerit affixus, per omnem ferè reliquæ ætatis decurſum ac progreſſum, cogatur langvorem & noxam perpetuam inde ſubortam deplorare, inde fit, ut levioris poſtea cujuſdam ventuli afflatu talis deficiat, ac planè proſternatur, cùm alioqui, pharmacorum præſidio citiùs reſtitutus, tantam virium & facultatum omnium oppreſſionem nõ ſubiiſſet, ſicque fatum propriâ culpâ acceleratum longiùs differre atque inhibere potuiſſet.

Definit autem morbus in vitam, natura

duce, cujus operationes remiſſæ corroborandæ ſunt & incitandæ, ne à cauſa morbifica, indeque repullulantibus ſymptomatibus, omninò ceſſent. Hinc Medicus dicitur diligens adjutor in neceſſitatibus naturæ. Incertum verò eſt, an morbus terminaturus ſit in mortem: hoc plerunque tibi ſubjiciet ſagax & perſpicax Medicus, qui prudenti ſuo prognoſtico rem omnem aperiet, an nimirũ morbus tuus ſit ſalutaris & curabilis, an verò incurabilis, & adeò magnus vel acutus, ut omnem Medici operam eludat. Quod ſi ex urina, cæteriſque circumſtantiis eventum habebit exploratum, de morte impendente admonitus æger, vel ſumtibus erogandis planè, ſi Euclio es, & κυμινοπρίστης ſuperſedere poteris, vel de ſalute admonitus, cum fructu, & quidem tempeſtivè impenſa non-perparcè erogabis, corporique honorem habebis.

Quod verò multi à cibo & potu abſtinent in morbis, id partim divinæ conſervationi acceptum referendum, ſiquidem non de ſolo pane vivit homo, partim copioſis cruditatibus in venis & viſceribus ubertim deliteſcentibus, aſſignandum: Siquidem iſtæ ſuperfluitates, deficiente alimento, à natura conſumuntur, inq; corporis emolumentum cedunt, dum in ſanguinem ex parte convertuntur,

tuntur. Neque crediderim, ab omni planè cibo & præſertim potu ægrotantes abſtinere, ſed eoſdem aliquid interdum aſſumere.

XIII.

Patriarchæ quantumvis olim aliquot ſecula vivendo ſuperârint, & Deus ipſis complura arcana revelârit, quorum adminiculo perquàm vivaces extiterunt: tamen in nos etiam pro in exhauſto miſericordiæ ſuæ fonte varia arcana derivat, & in noſtram poſteritatem derivabit haud vulgaria: quæ ſanè ritè adminiſtrata inſignem uſum & alleviationem mortalium generi ſuppeditare poſſunt. Herbæ quidem & radices tempore Patriarcharum fuerunt efficaciores, & ſucculentiores, quàm noſtro tempore. Quemadmodùm verò cœlum ferreum pro aureo, lapidoſam terram pro fœcunda nunc inhabitare cogimur: ita ſolertiâ noſtrâ, quæ multis divinâ benignitate conceſſa eſt, rem omnē ſic aſtu tractabimus, quò Deus ipſe induſtriam noſtram animadvertens benedictionem felicemque ſucceſſum laboribus noſtris addere, annoſque adaugere permoveatur, ne nobiſmetipſis obſtitiſſe videamur.

Variis involucris ac nebeculis medicamenta plurima ſunt tecta, quæ non niſi detractis pelliculis & materiæ ſordibus in uſum humanum cedere poſſunt, quò ſomnolenti à voluptibus noxiis avocati ad laborem virturisque ſtudium in perveſtigandis naturæ ſecretis, in expoliendis pharmacis, eorumque eſſentiis & nucleis profundè extrahendis excitentur. Quod objicitur de prædeſtinatione, quæ tempore peſtis homines abripiat, illa opinio falſa eſt, & homine Chriſtiano prorsùs indigna, cum neceſſitatem Stoicam, & Calviniſticam craſſiorem admixtam habeat. Nam in peſte ſæpiùs maxima pars ſervaretur, ſi rebus ſuis tàm præſervandi, quàm infecti melius conſulerent, & pharmaca nobilia juxta præſcriptum prudentis Medici in tempore adhiberent: quod cum à pauciſſimis obſervetur, meritò obduratione pharaonicâ irretiti plurimi celeriter extinguuntur.

XIV.

Statuendum, terram non adeò eſſe maledictam, ut omne bonum, quod rebus erat inſertum antea, maledictione fuerit ſubductum. Quare adhuc unaquæque regio ſuis inſtructa eſt pharmacis: quod Italia non pducit, Germania profert: ita enim comparatum

ratum eſt,ut ſubalternis ac mutuis officiis regiones invicem ſint obſtrictæ, ita ut quæ nobis ſunt denegata, aliundè adduci poſſint: & quæ apud alios populos deſiderantur, de noſtra ſuperfluitate quædam ipſis accedere queant: non enim omnis fert omnia tellus. Cæterùm concedemus hoc in antitheſi, ꝙ non totus balſamus alimentis & medicamentis reſtaurari poſſit, ſed ex parte tantũ. Quò verò nobiliora ſunt reſtaurantia media, eò diutiùs vigebit ſubſtantia corporis reparanda. Vt enim vinum generoſum, cui ejuſdem propè præſtantiæ vinum affundis, in priſtina ſua nobilitate diutiſſimè conſervatur: Vbi verò eidem admiſcueris aquam, vel vinum longè ignobilius, deteriorem inde potum ſubſtitui neceſſe eſt: ita etiam calor nativus, pabulo convenienti admoto, in plures annos aſſervatus durabit ac vigebit: inconvenienti verò ac inſalubri nutrimento, aqueo ſcilicet ac ſqualido, marceſcens extinguetur.

Quemadmodum verò omnis generis ægritudines à Deo peccatoribus immittuntur; ſic qui μακρόβιος futurus, ſuæque ſalutis ac longævitatis avidus eſt, in Deum defigat oculos, eique fidat, illum non fucatè, ſed piè veneretur, ſuſpiciat, ac ſalutaria quæque fi-

duciâ mediatoris ab illo depoſcat. Deinde viribus ſuis nemo nimiùm confidat, ſeque propterea inſolentiùs efferat: nam theſaurum geſtamus in vaſis teſtaceis, hoc eſt, fragili ac moribundo corpore, quò cuique innoteſcat, hoc divinæ virtuti atque eminentiæ aſſcribendum, non hominis viribus.

XV.

Vniverſaliter verum non eſt; quod ſapit, nutrit: poteſt enim cibus alioqui jucundus & palato arridens inſaluberrimus eſſe, & notabilem noxam tàm ſano, q̃ morbido corpori conciliare, unde ne tantillum quidẽ nutrimẽti eidem accedit, ideoque delectus in cibis paulò deterioribus, rariùs tamen in univerſum delibandis, haberi debet. Indulgendum aliquid naturæ nonnunquam, concedendo ei cibos gratos & jucundos, etiã ſi non omni vitio careant, modò non inſigne adferant damnũ. Cibos etenim ſuaves vẽtriculus avidiùs trahit, arctiùs complectitur, continetq;, meliùs conquit, ac ſi quid vitii in iſtis latet, emendat, majoremque partem ſucci corpori aſſimilat. Cæterùm cibi inſuaves ac minimè placentes, quamvis optimi ſucci ſint, morbovè adverſentur, nauſeam tamen & fluctuationem in ventriculo excitant: ipſos enim ſtomachus non avidè allicit, non arctè amplexa-

plexatur, non molliter fövet, immò eoſdem refugit, nec dextrè concoquit. Hæc non tantùm merentur locum in hominibus ſanis, ſed etiam ægrotantibus, quibus interdum aliqd condonandum à medico, ut eorum amorem ſibi conciliet, atque ita medico confidant ægri libentiùsque pareant. Hinc Hippocrates lib. de affectionibus monet, cum inquit: quoſcunque cibos aut potus, aut obſonia ægroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non inde damnum corpori eſt acceſſurum. Et 6. Epidem. 4. gratificandum ægrotis in iis, quæ non magnoperè lædunt, noxamque habent facilè emendabilem. Caveamus autem, ne ita vel ægrorum, vel ſanorum aucupemur favorem, ipſorum cupiditatibus animo adulatorio conniventes, ut interim morbum ipſum vel præſentem exaſperemus, vel futurum promoveamus.

Si quæ cibis inſalubribus adduntur corrigentia, iſti vel nullam, vel perexiguam labeculam ſanitati aſpergunt, nec inſigne damnum eidem inurunt.

CAPUT V.

In quo aſſeritur, quod ſeipſum noſſe, aditum aperiat ad longævitatem.

PRimò omnium unusquiſq; incitetur ad ſui cognitionem, quicunque jucundam diutiùs degendæ vitæ rationem inire deſiderat. Tùm verò præclarè ſeipſum noſcet, ac deinceps honorem & culturam corpori habebit, ubi menti ſuæ primùm proſpexerit, ſeque creaturam, imaginem, & auguſtum DEI templum cognoverit. Vera namque hæc eſt & ſolida Philoſophia, alienis ſepoſitis ſibimetipſi proſpicere, cum ex ignoratione noſtri in morbos varios, innumeroſque, perturbationum ſcopulos deferamur, eoque fit, ut poſthabitâ corporis notitiâ, multis vitæ ſtamina ſuccidi præmaturè contingat, qui nullum tuendæ conſervandæque valetudinis diſcrimen ac delectum curant. Perpendat igitur quivis, quantus ab optimo temperamento fiat in corpore ſuo receſſus, ut opportunum poſſit implorari ſubſidium: eſt enim præſtabilius, hoſtem adventantē intra mœnia planè non admittere, quàm admiſſum excludere. atque armis potenter ejicere ac profli-

profligare. Quæ verò adhuc illæſa perſiſtit ſanitas, munienda eſt, inque laudabili ſua conſtitutione conſervanda cogitando, quotidiè aliquid ſuperfluitatis in corpore relinqui, vel nobis non animadvertentibus. At ſanitas nimùm deflectens erigenda, & ad integritatem reducenda. Avaros hoc loco ſeriò admonitos volo, qui nihil aliud intendunt, ut corradant per fas & nefas undique divitias, ſanitatis interim curâ prorsùs neglectâ: nôrunt hi certè valetudini ſuæ noxas impreſſas, ſentiunt etiam dolores acutos: ſed quò minùs viæ reſtat, eò plus viatici quærunt, cum tamen acquiſitis bonis non fruantur: nam habentes eſuriunt, immò clavem citiùs è manu Herculis extorquere poſſemus, quàm ex iſtis Euclionibus numum, tenaciter ſaltem ac perparcè propriæ ſanitatis gratiâ erogandum. Stulte, qui fovea dignus, cur remotiſſima à te quæris anxiè, quæ verò antè pedes, immò intra teipſum ſunt, ignoras, vitiaque corporis tui ſtudiosè occultas. In hac conſideratione ſemper ob oculos tibi pones ſanitatis dignitatem, dolorum è morbis prodeuntium acerbitatem, mortis horrorem, donorum mentis atque ingenii tui diſſolutionem, honoris abolitionem, voluptatum honeſtiorum, quas in hoc mundo conſectatus es,

tus es, ceſſationem. Cogita, quanta ſit miſeria, liberos nondum educatos relinquere, uxorem deſerere, amicitiâ & conſanguinitate junctos amittere, bonisque fortunæ cunctis ſpoliari.

CAPUT VI.

De brevitate, miſeria, & multiplici calamitate præſentis vitæ.

AEgyptii humanæ fragilitatis memores σκελετὸν, hoc eſt, cadaver hominis exiccatum, vixque oſſibus hærens in conviviis circumferebant, & ſingulis ex ordine intuendum oſtentabant, ut refert Plutarchus in ſympoſio 7. ſapientium, quo ſpectaculo comonefacti, ſe homines eſſe agnoſcerent, neque nimiùm effuſi ac præcipites eſſent in voluptatem. Malè itaque immò peſſimè vivunt, qui ſe ſemper victuros putant: homo enim vitæ commodatus, non donatus. Fluit tempus & avidiſſimos ſui deſerit, & ſicut flos campi homo marceſcit ac defloreſcit: ſicut fenum, hominis caro areſcit, & omnis gloria ejus ſicut flos agri. Homo more floris procedit ex occulto, & ſubitò apparet in publico, floreſcens honore, divitiis,

tiis; robore & fortuna: ſed idem viciſſim à publico per mortè retrahitur ad occultum. Carnis viriditas nos in conſpectum producit, ſed ariditas cadaveris ab aſpectu hominum nos retrahit: quaſi flos apparuimus, qui non eramus: quaſi flos areſcimus, qui ad tempus conſpiciebamur: immò naſcentes, & quaſi per momenta quotidiè morimur, dumque nos proficere in ſpatium vitæ credimus, ab eâdem tranſimus: immò mors quotidiè cervicibus noſtris impendet.

Mortem verò non invexit natura, communis rerum parens, ſummique opificis inſtrumentum, ſed vitiorum corruptela, ipſaque à prima mundi origine peccati labes hanc cladem, hoc mortiferum vulnus, hanc lethalem plagam inflixit. Nam cum homo ad imaginem Dei creatus, omnibusque tàm corporis, quàm animi dotibus egregiè inſtructus, tandem ſine animæ corporisq; diſſolutione in cœleſtem patriam commigrare potuiſſet: inſidiis Satanicis aſtutè circumventus gratiâ creatoris ſui effluxit. Ah quàm citò iſta ornamenta omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrymas reciderunt, ut qui paulò antea immortalis deſignatus fuiſſet, bonis ſuis miſerè ſpoliatus, nullum poſthac retineret priſtinæ dignitatis veſtigium.

Hinc

Hinc tot tantæque pelliculæ rationi ſunt obductæ, hinc cognitio illa in homine rerum omnium dilucida,&tàm illuſtris,tetris ignorantiæ velis funditùs involuta eſt, hinc tot morborum monſtra ac ſeminaria ſunt propagata, tot inſuper calamitates & maledicta irrepſerunt. Tota creatura, quæ modò ſalutaria ſpirabat, omniumque rerum ubertatem concedebat, nil niſi peſtifera, & exitialia,viribusque priſtinis defraudata nunc profert. O contagium peſtilentiſſimum, per unius hominis lapſum toti poſteritati traditum. Hinc ſpes omnis prolixioris ætatis præciſa eſt. Labitur occultè, fallitque volubilis ætas: Et celer admiſſis labitur annus equis, ut inquit Ovidius. Item:

Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præterit rurſum revocabitur undæ:
Nec jam præteriens hora redire poteſt.

Item in libro Metamorph.

Corpora vertuntur, nec quod fuimúsve ſumúsve
Cras erimus &c.

Item:

Tempora labuntur, tacitisq; ſeneſcimus annis.

Cæterùm

Cæterum anguſti iſti termini, quibus vita noſtra circumſcripta eſt, moleſtiis, labore & dolore ſunt, ut plurimùm referti. Si ante noſtra ſecula ſacræ ſcripturæ pronunciatum fuit verum: homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: q; quidem fuit veriſſimum, ſanè hoc noſtro ſeculo id longè certiſſimum eſſe, proh dolor, experimur. Anguſtis limitibus vita noſtra incluſa ad innumeras feréque infinitas excurrit miſerias: & quod ſenſu non percipimus, neceſſaria ſuſtentandæ carni proſpicientes, nil niſi miſeria eſt. Frigus veſtimenta, fames alimenta, æſtus frigora requirunt. Quod quæsò adminiculis compago corporis præmunienda? immò vel præmunita, & ſatis anxiè cuſtodita amittitur, amiſſa gravi cum labore reparatur: adeoque in dubium incertumque vocatur ipſa reſtauratio. Quid dicam de converſatione, utrum magis vituperem vitã ſolitariam, quàm congreſſus civiles? Si lates, triſtior ac pauperior es: ſi prodis, non ſinè periculo alienæ conſuetudinis uſurâ frueris: Πάντῃ γὰρ πολλῶν πισὸν ἔχουσι νόον. Multis ſimulationum involucris regitur, & velis quibuſdam obtenditur uniuscujusque natura, frons, oculi, vultus perſæpè mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè, quæ ficta veritatis ima-

imagine fucum facit. Sunt, quos ſcio eſſe amicos, ſunt, quos ſuſpicor, quorum ingenia atque animos non poſſum noſcere, an ad amici partem, an ad inimici perveniant: plures

Aſtutam vapido ſervant ſub pectore vulpem.

Quàm varia eſt, inquit Cicero pro Milone, commutabilisq; ratio, quâm vaga volubilisq; fortuna. Quid itaq; hîc niſi humanæ vitæ miſeria eſt? Homo cœleſti ſede excluſus delectatur exilio, gravatur curis & tamẽ cogitare diſſimulat, ſperata recedunt, quæq; multum agitata, diuq; jactata res eſt, irrita ꝑter opinionem redditur, inque deteriorem partem relabitur. Cogita igitur, Homo, unde veneris, & erubeſce: ubi nunc ſis, & ingemiſce, quò vadas: nam quid morte terribilius eſt? vitâ verò quid calamitoſius? in qua nihil eſt, niſi propagatio miſerrimi temporis.

Quot & quantis pœnis agitatur genus humanum, quæ non ad iniquorum malitiã, ſed ad communem pertinent calamitatem, immò vita hæc non eſt vita, ſed συμφορὰ & mera calamitas. Quantus luctus ex obitu noſtrorum ſequitur? quanta calamitas & inquietudo? quantæ ſolicitudines ſæpiùs è jacturâ bonorum factâ emergunt: fraudulosæ hominum circumventiones, falſa ſpe producentium,

um, quantâ bilis acrimoniâ cor inficiunt? Quis non innumeris caſibus, fortunæq; tempeſtatibus expoſitus vivit? Quiſnam ambulat, non inopinatis ſubjacens caſibus? Quot & quantos à cœlo & terra, vel à perniciofis animalibus, caſus pertimeſcunt agrorum, arborumque fructibus immittendos Agricolæ, nec non homines univerſi? Tot morborum agmina in tàm tenui corpuſculo prorumpunt, quæ nec magnis Medicorum voluminibus comprehendi poſſunt. Neque verò graviora ſunt carnificum tormenta quàm interdum cruciamenta morborum, qui b. inſuper accedunt tormenta Chirurgorum, cum plurima etiam adjumenta & medicamenta tormenta eſſe videantur. Somnus tandem, qui propriè nomen quietis accipit, quantis quæsò terriculamentis animum corpusque crebriùs interturbat, adeò, ut nonnulli experrecti morbo gravi & mortifero afficiantur. Puer, ut Plato 7. de Legibus ait, eſt minùs tractabilis, quàm ulla beſtia, ὁ παῖς πάντων θηρίων ἐςὶ δυσμεταχειριςώτατον, καὶ ὑβριςότατον θηρίων γίγνεται, niſi rectè educetur.

Probè educatus gloriam ſi petet, per aſpera quæque diſtractus, ſecurus eſſe deſiſtet.

Volu-

Voluptatum blanditias ſi ſectabitur, partim puerilium oblectamentorum illecebris, viro indignis ſe dedet, partim cum dedecore ac turpitudine conjunctis cupiditatum lenociniis ſerviet, doloremque in animo diuturnum ſibi relinquet. Si qui voluptatibus honeſtis ducuntur, tædioſæ ſunt & ipſæ, nec omni vacant moleſtiâ. Qui verò ſibi indulgentes vitam voluptatum omnium varietate confertam traducunt, nec honeſtum nec utile obſervant, corpusque variis ægritudinibus obnoxium reddunt. Si pecuniam corradere conaberis, habenti eripies. Si in alto amploque dignitatis gradu te locatum deſideras, inferiorum calumniis atque inſidiis te expones, tùm vigiliæ & cathenati labores te expectabunt.

Heu ſolis miſeris ſupereſt poſt omnia luctus,
Quot bona tunc habui, tot modò damna fleo.

Homo dum educatur, inutilis eſt, & alienum auxilium implorat, dum creſcit, inſipiens, protervus, pædagogo indigens, dum in vigore eſt audax, dum decreſcit, miſerabilis, ubi labores ſuos imprudenter recolit atque extollit.

Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit,
At cum triſtis erit, præcipitata venit.

Et ut paucis multa complectar, abyſſus abyſſum invocat, & Buganauus eleganter canit:

Ut trudit undas unda: fluctus fluctui
Cedit ſequenti: pellitur dies die:
Semper premuntur præterita novis malis:
Dolor dolori, luctui eſt luctus comes.

Nullus profectò naturæ ſtatus moleſtiâ caret, ſed ubiq; dulcia permixta ſunt amaris, acerba ſuavibus, læta triſtibus, nubila ſerenis, nec quicquam eſt in quovis vitæ genere omni ex parte beatum: namque indies fortuna fert novas viciſſitudines. Hoc ipſum Crœſo, opes ſuas ambitioſiùs oſtentanti, Solon prudenter ſignificabat. Verùm Rex tùm quidem verba Solonis inſolenter reſpuebat, donec tandem à Cyro victus, jamque rogo impoſitus, illorum veritatem ſuo propemodùm exemplo comprobaſſet, niſi ter inclamato Solonis nomine, totoque colloquio repetito, victorem ad miſericordiam flexiſſet, ejusque clementiâ ſervatus fuiſſet. Immò quælibet humana dignitas invidioſa, moleſta, pericu-loſa, ac momentanea meritò exiſtimatur, &

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

CAPUT VII.

De præſtantia Vitæ, tùm de dignitate Hominis.

QVanquam homo ante lapſum divinitatis inſignia geſtans, poſtmodùm in prædictas corporis animæque miſerias momento præceps dilapſus eſt ita, ut ærumnarum mole æviq; brevitate cæteris Creaturis videatur inferior: tamen Deus humani generis miſertus nō omne bonum rebus creatis tùm temporis inſitum maledictione ſubduxit, ſed ingenio humano, ſucceſſu temporis iterum exculto, plurimarum rerum notitiam benevolè impreſſit, quò illuſtria creatoris munera majore prædicatione & gratiarum actione agnoſcerentur. Quod ut melius & alacrius expediret homo vivendi deſiderium Deus eidem implantavit. Licet enim ejusmodi ordo, ac ſeries naturæ, rebusque exiſtentibus fatalis quædam continuatio conſtituta, ac præfinita ſit, ut omnia orta intereant, ac ſeneſcant: morbi tamen actionem lædentes, ut mors ipſa, vitam abolens ac ſpolians, prorsùs eſt naturæ contraria. Nihil namque naturæ legibus repugnantius, quàm extingui, luceque ſuaviſſimâ privari: ideoq; mors non naturæ, ſed conſequentiæ ratione nàturalis dicitur.

Cæterùm

Cæterùm vitâ nihil carius ac pretioſius eſt, ψυχῆς οὐδὲν ἐστι τιμιώτερον: tanta eſt enim vitæ hujus dignitas, ac præſtantia, ut res omnium pretioſiſſimas & chariſſimas præ illa deſpiciamus, aut etiam corpora noſtra præſentiſſimo periculo objiciamus, dummodò vitam ſervemus. Quod animadvertentes veteres pulcherrimis ſententiis excellentiam vitæ ejusque ſuavitatem proſecuti ſunt:

Οὐ γὰρ τῆς ψυχῆς πλέον ἀνθρώπῳ φίλτερον ἄλλο,
Nil quicquam eſt homini vita pretioſius.
ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ ἡμέρας ἁγνὸν φάος,
ὡς ἡδὺ λεύσσειν τοῖς τε πράσσουσιν καλῶς
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν. Eurip. citante Stobæo.
O ſplendide æther, & diei ſacra lux,
Quàm ſuavis eſt aſpectus hic felicibus
Juxta ac miſerrimis.

Item Euſebius lib. 2. προπαρ. κάλλιστον τί ἐστιν ἡ ζωή, vita pulcherrimum, vel optimum quiddam eſt: Das Leben iſt edel. Ita enim plerunq; animati ſunt homines, ut rerum omnium jacturam, immò etiam domeſticorum interitum æquo animo ſuſtineant, dummodò ipſis cute illæſa, corporeque incolumi evadere liceat.

Videmus in locis contagioſis quàm plurimos, conjugis, liberorum, & intimorum quoque familiarium ſalutem prorsùs negligere, quò ſuum duntaxat corpus inoffenſum reſervent. Notum quoque eſt Tragicum illud facinus, quod filius, munere carnificis fungens in parentem decrepitum factâ decollatione commiſit, quò comune ſupplicium utriq; per ſententiam Iudicis indictum, & alterutri deſtinatum ſolus ſubterfugeret. Mortem certè exoptant atque invocant multi, qui tamen eâdem appropinquante, hinc migrare ac diſcedere nolunt. Matrona quædam toties pro marito ſuo vinculis corporeis deſiderabat relaxari, ſed mortem advenientem (in cujus locum gallus deplumatus à marito erat ſubornatus) admittere noluit, ſed ad mariti ægrotantis lectum remiſit. Tantum vivendi deſiderium natura nobis inſculpſit, ut mortis mentione factâ facilè obſtupeſcamus & tremore quodam concutiamur. Pro hoc præſtantiſſimo, nec non precioſiſſimo munere nobiliſſimæ vitæ unusquisque noſtrûm ad agendas ſummo Creatori gratias, mentem, animum, linguamque excitabit: tametſi nemo unquam tantâ ſit eloquentiâ, neque tàm divino atque incredibili genere dicendi, qui magnitudinem tanti beneficii

non

non modò augere, vel ornare oratione, ſed enumerare aut conſequi poſſit, ut quidem ipſius rei dignitas requirit.

Verùm his nunc miſsis ad hominis dignitatem me converto: q.d eſt homo, quod memor es ejus? nihil aliud, quàm expreſſiſſimũ Dei ſimulactum, in quo Deus ſuæ divinitatis ſpecimen, verumque magiſterium exhibuit, hîc hîc elucet divinâ Creatoris ſapientia, quâ meritò perducimur in tanti opificis cognitionem, ac reverentiam. Homo Angelis paululum inferior, cui principatus ac præfectura rerum terreſtrium commiſſa eſt. Ethnici ſaniores confeſſi ſunt, eorumque ſtudium in contemplanda hominis naturâ non tàm exarduit, quâm obſtupuit, dum nimirùm hominem nonnulli rerum omniũ menſuram, *μέτρον ἁπάντων*, ut pythagoras: nonnulli eundem, ut Plato, *θαῦμα θαυμάτων*, miraculum præ cæteris admirandum: nonnulli divinum animal, plenum rationis & conſilii, ut Cicero; omnes verò unanimi cõſenſu *μικρόκοσμον*, id eſt, parvum mundum, appellârunt, ob tantum ornatum tàm externum, tàm internum, & propter ampliſſimas quibus cumulatiſſimè munificus ille rerum parens atque opifex Deus hominem ornavit & decoravit: immò gloria & honore co-

ronavit eum. Quidni cum regio Propheta Davide celebrabimus Deum, quod mirificè formati ſumus: immò miro artificio in maternis uteri latebris conſtructi ſumus, omnia concinnè & affabrè formata apparent.

Status corporis humani celſus atque erectus, os ſublime, omnium partium æquabilis & juſta proportio atque exacta commenſuratio, tandemque mirabilis rerum omnium, quæ naturæ imperio ſubjiciuntur, amplexus. Dignus profectò homo eſt, ut diutiſſimè vivat: longævitate digniores ſunt illi, qui internis animi dotibus, ratione & intellectu, reliquis prævalent, qui divinã gloriam in poſteritatem propagant, qui communem utilitatem promovent, nec non proximi ſui commodorum rationem curamque diligentem ſuſcipiunt. Hi, inquam, digniſſimi ſunt, de quarum vita pducenda ſimus ſoliciti. Cœteros, utpote inutilia telluris pondera, fruges conſumere nata, non magnoperè curamus. Sed nec iſti meam mentem vel orationem aſſequuntur, genio potiùs indulgent, & gemmas haſce pretioſas, poſthac colligendas, flocci pendunt.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

De ſanitatis encomio.

SAnitas eſt divinum longéque blandiſsimum vitę condimentum: nihil enim ſanitate &robore corporis eſt vel præſtabilius, vel optabilius, & citra ſanitatem neque divitiarum, neque corporis, neque ullius alterius rei utilitas ulla eſt, quod ſapientiſſimus Siracides probè intellexit, dum cap. 30. inquit: σῶμα ἔυρωςον βέλτιον, ἢ ὄλβος ἀμέτρητος, corpus ſanum eſt pretioſius quibusvis opibus. Plato dixit: ὑγιαίνειν ἄριςον: quod enim quæsò præſtantius eſt bonum, quàm proſpera valetudo, tantum certè, ut idem nemo ſapientum ne quidem cum Crœſi vel alterius potentiſſimi Monarchæ divitiis eſſet comutaturus. Quoties ād ægrotantiū lectulos ab ipſis ægrotanibus audiuntur hæ voces, bonam corporis onſtitutionem omni auro prævalere? Geſunder Leib iſt das beſte Kleinot auff dieſer Welt: eſunder Leib gehet vor alles: geſunder Leib iſt beſſer denn groſſes Gut.

ῶον ἔχειν ἐδὲν, κ᾽ ὑγιαίνειν, ἢ ἄρα πλετεῖν,
Καὶ καταθάπλεσθαι σῶμα νόσοισιν ὅλον.
κὶ χρυσῦ κρείττων ὑγίεια ἐπηρατυ ἐςὶ,
πλέτυ τ᾽ ἄρρωςον σῶμά ῥ ἀπηρεσίυ.

id eſt, meliùs eſt, nihil habere,& ſanum eſſe, quàm morbis affligi per totum corpus. Et auro amabili melior eſt ſanitas, & corpus valens infinitis opibus. Siquidem præclaræ opes, facultates immenſæ, ſumptuoſa ædificia, ampla longeque experrecta jugera, ambitioſi tituli, atque appellationes magnificæ præ his ſordeſcunt, nulliusque ſunt uſus aut æſtimationis. Horatius inquit lib. 3. Epiſt.

——— valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus benè cogitat uti.

Alii ſuaviſſimam vitam quærunt in vino generoſo mediocriter potando, alii voluptatem ſummam capiunt ex aſpectu & converſatione cujuſdam virginis, ſpectatiſsimam formam exhibentis, hanc unicè ſuſpiciunt amatores, & in cœlum uſque laudibus extollunt ſidereos iſtius oculos, hilarem exporrectamq; frontem, roſeas genas, purpurea mala, corallina labra, eburneum collum, modiceque protuberans pectus, nec non univerſam, quam ex corpore ſpirat, venuſtatem. Admirantur alii amabiles ſuas conjuges, nec pulcriorem ſub Sole reperiri ſomniant. Iactant alii vulnera, ſpitami quantitatem adæquantia, hoſtibus vel adverſariis illata. Nonnulli nihil aliud prædicant, quàm ciborum delitias, quæ quidem

dem ad ſanitatem tùm augendam, tùm reparandam, tùm conſervandam requiruntur. Nonnulli ſummoperè acquieſcunt in ſtolido quodam veſtitu ex Gallia ad nos delato. Quidam, in Magnatum præcipuè aulis, nihil magis laudi ſummæque voluptati ſibi eſſe ducunt, quàm ſi argento, auro, purpura, pretioſis atque holoſericis veſtibus induti atque exornati magnificè incedant. Multi nihil magis in votis atque optatis habent, quàm ut omnibus copiis circumfluant, atque in lauta beneque aucta parte conſtituantur. Magnum eſt, in celſiſſimam alicujus dignitatis atque honoris ſedem aſcendere: præclarum eſt, ad Reipublicæ gubernacula ſedere, in civitate quadam celeberrima Conſulatui honorificè præeſſe. Fodinarum metallicarum culturam feliciter peragere, jucundum eſt, præſertim ſi recentes, candidosque thaleros inde recipias, ita ut fructus ex labore rediens expenſa longiſsimè ſuperet. Multas regiones perluſtrare, multos miniſtris à latere, multosq; ſubditos habere, laudem ſingularem merentur. Sed ſanitas his omnibus longè præferenda: Si ventri tuo benè, ſi lateri eſt, nil poterunt divitiæ regales. Sed tùm demum homines ſua agnoſcunt bona, cum quæ in poteſtate habuerunt, ea amiſerunt. Quisque ſe-

cum ipſe expendat, quidnam reliqua conducant, ſi moleſtis infirmitatibus obnoxium corpus circumferatur. Qui, cedò, huic vita eſſe ſuavis & jucunda poſſit, animusq; tranquillus ac placidus, ſi ſanitas, utpote naturalis corporis, ejusq; partium ſtatus & conſtitutio laudabilis, deficiat: qua nimirum cunctæ actiones & munia dextrè, citra ullam offenſionis culpam pficiuntur omniaq; membra, nullo doloris ſenſu ſtimulata, ſuas functiones non oſcitanter obeunt. Ea namque corporis diſpoſitio,in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus expediendis retardamur, ſanitatis nomine venit appellanda. Tùm verò ægrotare homines dicuntur, cum actionum naturæ ſenſibili depravatione invectâ, muniis feliciter obeundis minimè valent. Taceo jam, quod præter robur virium, habitumque decentem, complura animi bona ſanitatem conſequantur, præſertim verò ingenium, prudentia, ſagacitas, & qua nihil deſiderabilius eſſe poteſt, vita longa, quæ diuturnam corporis & animi conſpirationem,amicitiamque deſiderat.

CAP. IX.

CAPUT IX.

De Medicæ artis eminentia.

CVm igitur inter primaria corporis atq; animi bona jure optimo referatur ſalubris diſpoſitio corporis, omnes in hac aſſequenda fovendâque certatim incumbere, & ſaluberrima ſanitatis præcepta diſcere atque obſervare decet, diligenter circumſpiciendo, ne luxu vitæque intemperantiâ, neglectuq; corporis interveniente, ſpontaneum ſibi interitum temerè accerſant, & ſic nondum cõfectâ ætate, decurſoque termini præſtituti ſpatio ante diem opprimantur. Quod ſi quis lapſus contingat ſanitatis, inque deteriorem conditionem, vel errore diætæ, vel naturali quadam impotentiâ, receſſus, tuum eſt, prudentiâ Medicâ & Philoſophicâ ruinam fulcire, licitisque mediis valetudinem ſtabiliorẽ reddere. At ſi eadem ab integritate multum deflexerit, modis omnibus illam erigere atque inſtaurare, medicisque inſtrumentis in integrum, quoad ejus fieri poteſt, revocare conaberis. In hunc namque finem divinâ benignitate mortalium generi Medicina conceſſa eſt, quò ejuſdem fragilitates permulceret, ac infirmitates præſidiis ſuis ſublevaret.

Quod

Quod ſi in nobis, ut ait Galenus, optima ſemper conſtitutio permaneret, neque nos ipſi alterationibus aut mutationibus eſſemus obnoxii, artis medicæ præſidiis profectò non egeremus. Quoniam verò fragilitate naturæ alterari,everti,corrumpiq; humanum genus cernimus, nec eundem perpetuò ſervare tenorem:ea ſanè ratione artem deſiderare ipſum,quâ naturę imbecillitati proſpici queat, evidentiſsimum haberi debet. Artem hanc nullam aliam eſſe, quàm Medicinam nobilem, neceſſariam, utilem, liquidò conſtat. Primò enim ab Altiſsimo manat Medicina: Altiſsimus de terra medicamenta procreavit, nec abhorrebit ea vir ſapiens: Ipſe Deus ſanat per hæc, tollitque dolorem hominis, tanta eſt nobilitas, tanta præſtantia atque eminentia Medicinæ, ut unà cum naſcente mundo ſuæ originis primordia duxerit, & poſthac parem cum illo perennitatem ſe continere glorietur. Quid dicam de materia medicinæ, quam nactat omnium præcellentiſſimam, videlicet hominem, quo nulla creatura in his terris eminentior eſt,ut nihil commemorem de fine maximè neceſſario,qui eſt ſanitatis poſſeſſio. Secundò maximè neceſſaria eſt ars medica, ad fragilitatem humanam ſuſtentandam. Tot enim

ægritu-

ægritudines hominem vix utero egreſſum comitantur,ut vix omnes poſſint enumerari. Quis artem medicam, quæ hominem à tot doloribus, & quandoque ab ipſa morte liberat, minùs neceſſariam eſſe contendet? Vtilitatem quod attinet,quotidiè gratâ commemoratione eandem teſtantur convaleſcentes, optatumq; valetudinis reſtitutę fructum percipientes. I nunc, Mome impudens, & ſacram Medicinam verborum contumeliis proſcinde, non profectò Medicis, ſed ipſi DEO detrahis: ſapientiam tuam, vel potiùs ſtultitiam & in Philoſophia infantiam, tanto viro indignam, lutibrio & riſui exceperunt Candidati tui, & ſuperbia præceſsit ruinam, facinus ingens, ac memorabile. Quęnam, cenſor iniquiſſime, ac ineptiſſime,cenſeri debet inter artes & facultates principatum obtinere,cujus præſidio his corporis incluſi compagibus vitam tranſigere poſsimus beatam atque tranquillam? (vide, ne denuò anginâ corripiaris, & os impudens tuū prorsùs obturetur) Si eſt vita cunctis mortalibus cariſſima,ſi lux ea cumprimis expetenda, in qua vivimus, ſpiramus, & jucundâ conſuetudine inter nos conjungimur: ſi ea primum eſt & præſtantiſſimum munus animantibus attributum: ars quæ illam ſervat,continet ac tuetur,

tuetur, quo pacto non ſit omnium nobiliſſima? quippe quæ infeſtiſſimos humani generis hoſtes, morbos, inquam, & adverſam valetudinem propulſat? quæ vitam incolumem ab omni langvore liberam & immunem quàm diutiſſimè tutatur? quid quæsò pulcrius, quàm in mortis diſcrimen adductis, varioque dolorum tormento dilaceratis ac maceratis, nec nō diuturna infirmitate preſſis ac emaciatis, omniq; propemodùm ſucco exhauſtis ſuccurrere? q̃d ad animos hominū in diſſolubili amicitia conjungendos, perpetuâque neceſsitudine conglutinandos, plus valere poteſt, ut non mirum ſit, ſi,qui tantas opes reſtituerit, quaſi pro Numine colatur, cum per illas externæ quoq; fortunæ præter alia bona cōparari, & jucundè poſsideri poſſint? Medicus enim remedia conferens,modò ſe naturæ miniſtrum, modò ut adjutorē, modò ut opificem primarium præſtat,& medendo plus quàm natura ſæpiùs efficit. Immò Medicina ſubindè eò intenta eſt,ut corpus in extremam uſque vitæ periodum integrâ, vel quam ortu accepit, ſanitate conſervetur: functionibus naturæ, morbi pervicaciâ fractis vel impeditis, utpote fideliſſima adjutrix ſubvenit Medicina, ut haud immeritò pronunciato Homerico locus ſit relinquendus:

ἰητρὸς

ἰητρὸς μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
Vir Medicus multis aliis præſtantior unus.

CAPUT X.

De vita, quid ſit, & in quibus conſiſtat.

DE re maxima, maximèque homini ad actiones ſalutares & diutiſsimè & laudabiliter obeundas neceſſariâ, nimirùm de vita, deque hujus prorogatione mihi dicturo benevolus lector, vivendi cupidus attento animo aderit, cum hæc omnia prudenti conſideratione, obſervationeque maximoperè ſint digna, tùm cuique, μακρόβιος qui futurus eſt, ſcitu apprimè neceſſaria. Cum namque vita, utpote ſanctiſſimum depoſitū, εἰς γνῶσιν ὑπὸ Θεοῦ δοθῆναι, id eſt, ad cognitionē, divino munere nobis ſit conceſſa, quid noviſſe magis præſtiterit, quàm illud ipſum, quod nobis contemplandarū rerum causâ contributum eſt? aut quid acriori ſtudio fovendum, quàm id, q̃ ruinam perpeſſurum eſt? Cumque naſcentes moriamur & vita hęc nihil aliud ſit, quàm via ad interitum, q̃d ni forinſecus & intrinſecus contingentes & cervicibus noſtris imminentes injurias, eâ, qua fieri poterit, induſtriâ declinabimus, atque avertemus.

Sepoſitis

Sepoſitis jam de vita ſubtilitatibus, ea tantummodò in medium proferemus, quæ ad propoſitum noſtrum facere videntur, vitam nihil aliud eſſe dicentes, quàm vegetatricis animæ in nativo calido manſionem, ut aſtipulatur Ariſtoteles lib. de vita & morte, & de Reſpiratione. Ariſtotelis verba ſunt hæc: *γένεσις μὲν οὖν ἐστὶν ἡ πρώτη μέθεξις σὺν τούτῳ θερμῷ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς. Ζωὴ δ' ἡ μονὴ ταύτης*, id eſt, generatio eſt prima vegetatricis animæ cum calido participatio: vita verò manſio hujus. Nam cum primùm quippiam eſt genitum, ſive id planta ſit, ſive animans, mox nativi calidi particeps redditur: ideoque & vita eſt permanſio & mora vegetatricis animæ calido nativo in corpore connexæ. Hinc idem Ariſtoteles vitam cujusque viventis per alimentum ſubſiſtentiā eſſe dicit: cum enim corpus continuò de fluxu diſſolvatur, niſi in abſumti locum ad reſumtionem partium nova ſuccedat alimenti eſſentia, brevi ſanè intervallo ſubſtantia diſſipabitur univerſa, & prorsùs contabeſcet. Licet verò vita animantis & præſertim hominis, in cujus gratiam noſtra directa eſt oratio, abſque cæterarum qualitatum, humoris, frigoris & ſiccitatis acceſſu, debitaque permixtione neutiquam poſſit conſiſtere, peculiariter tamen

in

in calore manſionem vitæ ſtabiliri ac fulciri manifeſtum eſt. Vitam, Galenus inquit,aut ipſas eſſe vires, aut earum actiones,*lib.9.meth. med.*& è contrario vitæ ſupremum eſſe cordis officiorum quietem: quoad enim motibus cor propriis movetur,animale perire nequit: ſiquidem calor nondum quieſcit,

Duo itaque ſunt, quæ corpus noſtrum fulciunt,vitamque in extremum uſque vitæ halitum moderantur ac tuentur, calor ſcilicet nativus & humor, in quibus ceu proprio fomite continetur vita, quorum alter alterius gaudet adminiculo, mutuasq; expoſcunt operas. Calore vitam ſubſiſtere, probatur inde: quamdiu namque homo functiones & munia ſua obire valet,calidus eſſe deprehenditur: iiſdem verò deſiſtentibus, frigidus: & vigente hoc calore floret homo, eodem languente contabeſcit. Quod ſi omnes animæ functiones interturbentur,atque etiam tollantur à frigido, ſive concoquendi digerendique munus obſerves, ſive reliquas naturæ virtutes atque potentias examines, certè à callido recreabuntur,ab eodemque vita dependebit. Viſceribus enim propter frigiditatem torpeſcentibus,enervatur calor,enervato calore, langueſcit cōcoctio, langvefactâ concoctione gignuntur cruditates: hinc ſan-

gvis efficitur aquoſus, & ad nutritionem minus idoneus, cum propter frigiditatem corpori nonpoſſit affigi vel aſſimilari, hinc membra collabi & flacceſcere neceſſe eſt: & ut multa paucis complectar, unius caloris ductu & moderatore vitam ducunt ea, quæ vitali hoc calore donata ſunt. Videmus plantas hyberno tempore emori, & frigore quaſi ſepeliri: Contra verò ineunte vere, cum calor ſolaris appropinquat, cuncta rejuveneſcunt, afflatuq; ſpiritus vitalis quælibet ad procreationem concitantur impelluntúrque animalia. Hoc ipſum deprehendere licet in ægrotis, quorum calor oppreſſus atque imminutus cibis ritè concoquendis, & in alimoniam convertendis, minùs ſufficit: eodem verò emergente, non tantùm concoctiones, ſed & reliquæ operationes feliciùs procedunt. Quantas ſuperfluitates ex defectu caloris accumulant ſenes! adeò ut continuis ſcreatib. ſeſe cogantur exonerare, ut nihil dicam de ſenum calore langvido, detritóque, unde membra pallida, cineriq́ue perſimilia exhibent. Et qemadmodum calor beneficus homines agiles actuoſosq́ue reddit: ita frigus oſcitantes, torpidos, ſomnolentos & ad edendas functiones ferè ineptos, ac deſides.

Quantas incommoditates frigus hybernum calori attrahat, experientiâ notius eſt, quàm ut prolixiore demonſtratione indige-

at, dum nimirum calor internus hominis ſępius ab æterno frigore ita offenditur atque obruitur, ut vel totum corpus, vel ſaltem partes nonnullas extingvi, earumque virtutes prorsùs ſuffocari neceſſe ſit. Verum de his ut & aliis injuriis frigoris deinceps alius erit nobis dicendi locus.

Cæterùm in ſuſtentanda vita non tantùm requiritur calor, ſed etiam humidum, quod eſt nativi caloris fomentum & pabulum, vitamque alit & conſervat, ut oleum in ellychnio flammam: quæ duo vitæ fulcra & fundamenta ſpiritu undique perfuſa & connexa in univerſum corpus dimanant ac diffunduntur: quibus præſidiis corpus deſtitutum vel depauperatum collabitur, omnisque facultas vel in exitialem interitum, vel ſaltem in deterius præceps fertur.

Humiditas autem calori aſſociata promtè concipit eundem, nec non illius actionibus obſequitur.

Ut enim vita tanquam lumen in calore verſatur naturali: ſic humidum inſtar olei adjungitur eidem, nexuque indiſſolubili invicem ambo cohærent: nam ſive humor ejuſmodi deficiat, ſive prorsùs excedat, vel inquinetur, ſtatim calor nativus imminuitur & magis magisque defatigatus occumbit. Si humoris abolitione calorem infringi ac de-

ſtrui contingat, mors reſolutione interimit, quod in maraſmo tàm juvenili, quàm ſenili, itemque in acutiſſimis febribus abſque ulla interpoſita quiete homines affligentibus, humidumque depopulantibus ac ſubinde depaſcentibus obſervare licet. Cũ humoris exundantiâ, vel admixtâ ſpurcitie calor obruitur, tunc violento quodã motu, ac ſtrangulatione deperditur. Hanc ob cauſam obeſi pingvedine immodicâ p̲ univerſũ corporis habitum ſparsâ ſæpiùs repentinâ morte pereunt, ſpirandiq; difficultate ſuffocantur; immò præpinguia corpora celeriùs ſeneſcunt, ſive pinguedo illa nimiùm excreſcens ſit maximè aëria, ſeu aquoſo humore adulterata & perfuſa, quod in Hydropicis deprehenditur, in quibus calor innatus ſqualido humore oppreſſus paulatim evaneſcit, & ſuffocatione collabitur. Tametſi verò functionibus vitæ potiùs obeſſe, quàm prodeſſe, & ſuapte vi perficiendis actionibus nihil adjumenti contribuere videatur humiditas: calore tamen nobilitata & circumfuſa non parùm præſtat, ſed ad nutritionis operam, nec non ad proceritatem & augmentum mirificè adminiculatur. Vt n. aqua, quæ non minus frigida q̃ humida percipitur, ignis aſſiſtentis vi cõcalefacta, per elixationem eſculenta reddit perfecta, eſuiq; idonea: ſic interſita corpori humiditas, calore nativo imbuta mutuo auxilio, operâque

ſubalternâ adeóque unitâ in corpore admiranda præſtat: quid multis? humidum colligendis reſtaurandisque viribus potiſſimum aſſignatur remedium. Extenuatos, & conſumtos citiſſimè reficiunt liquida, quæ licet non tàm validum corpori ſubminiſtrent alimentum, diſtributionis tamen celeritate longiùs iſtis antecellunt: ſiquidem humore calori obſecundante, feliciores digeſtiones procurantur, cibus aſſatione non corrumpitur, ſed elixatione perficitur, tandemque in ſubtiliorem eſſentiam, rorisque ſpeciem reductus, in intimos abditosque corporis receſſus reponitur, & ſic reconditus membris aſſimilatur & coaleſcit. Exolutos inſuper & lipothymiâ obſeſſos nunquam celeriùs revocamus, & roboramus, quàm humidis, & potiſſimum aquis deſtillatis, non vulgaribus, ſed pretioſis; quæ ſunt actuoſæ, & ſeipſas leviuſculo duntaxat ac remiſſo calore naturali accedente & auxiliante, in actum devoluunt, momento anguſtiſſimos corporis meatus penetrando, optatisque noſtris in roboris advectione ſatisfaciendo. Veritatem hujus rei ſatis etiam comprobat terra, quæ humore nimis exhauſta, & peruſta, nec imbribus temperatis irrigata & madefacta, fructus tùm pauciores tùm minores, tùm inſalubriores producit, unde vim morborum inde exurgentium ſatis ſuperque experimur. Ex

Ex his liquidò conſtat, vitam ſuffulciri à calido nec calido ſolùm, ſed humido, nec quovis tamen humido, ſed aërio & ꝓportionato, ut pluribus docebitur in capitibus ſequentibus.

CAPUT XI.

An homo in hoc mundo vel per ſe, vel ſuâ, vel artificis operâ adjutus reddi poſſit immortalis.

1. Dubitatio hîc & difficultas occurrit, nũ mors ulla ratione poſſit evitari, ſi namq; , ut ante dictum eſt, calor propter abſentiam & corruptionem humidi deſinit, & verò defectus iſte, qui jacturâ humidi introducitur, per alimentorum ſuggeſtionem quotidiè reſarcitur, quæ in abſumti locum ſuccedunt, utique per iſtud ſupplementum moriendi neceſſitas tolletur. At videmus homines primùm decreſcere: deinde tabeſcere, tandemque interire.

2. Deinde omnibus hominibus inſitum eſt à natura ſempiternitatis deſiderium (Ariſtot. lib. 2. de anim. c. 4 atteſtante) quàm gravatè enim, animoq; iniquo ac repugnante ab hac vitæ ſuavitate divelli ſe quiſque patiatur, experimenta comprobant quotidiana. Cur igitur illud deſiderium eſſet irritum, cum natura nihil fruſtrà moliatur; & ſic per conſequens homo certam vitæ periodum non habebit,

ebit,ſed immortalis eſſe in hac terra poteſt, i modò curam ſui corporis exactâ ſuſciperet?

3. Chymicæ artis Profeſſores affirmant, er aurum potabile, per lapidē Philoſophoum, per Mercurium vitæ, per ſpecifica odoifera,tincturas& alia arcana prohiberi poſſe enectutem, quod inde confirmatur, quia ſi lefunctorum corpora, quæ facilè contabecunt, & in putredinem cineresque redigunur, aromatum condimentis quàm diutiſſinè,ut fieri ſolet,integra ſervantur,&ab intertu vindicantur, quid ni viventia, naturam abentia opitulatricem, artis naturæque renediis ab interitu magis defendi poterunt?

4. Prioribus mundi ſeculis homines adeò uerunt longævi, ut alii vixerint ultra ſeptinentos annos,alii ultra 800,alii vixerint ultra 70.Cum ergò antiquorum vita tamdiu proogata fuerit, non videbitur impoſſibile, acedente p̃ſertim ſtudio & induſtria ſingulai, eandem ab interitu immunem retineri oſſe. Nonne aliquis cibus vel medicamenum in tota rerum univerſitate inveniri poſet,quod multò potentius eſſet humectando, uàm cauſæ omnes externæ ſiccando,quò niirùm oppoſitæ rei motus injuriarum motui ræ valere,& ſatis fortiter reſiſtere, ſicque horninem in vigore ſuo juvenili in æternum onſervare poſſet?

Ad primum dubium reſpondeo, deflu- vium illud corporis detrimentoſum videri quidem alimentis renovari, quæ in abſumti defectum reponuntur, ſed illud ſubſtitutum non eſſe tantæ nobilitatis, quàm illud quod prius extitit. Quod enim ex influenti alimento alteri primigenio aſsimilatur, longè eſt impurius ac magis excrementitiũ, adeoque deterius illo, quod diſſipatum fuit, quodque principia ſecum cum ſemine adduxerunt: unde ſucceſſu temporis calor idoneo fomento deſtitutus, ſegnior & ipſe evadit. Neque verò tantummodò quantitas ad reſtaurationem, ſed etiam qualitas humidi requiritur. Præterea non ſolùm nutrimenti convenientis penuria perniciem minatur homini, ſed & agentis caloris laſſitudo, qui in agendo ſubinde repatitur. Quamobrem tametſi animæ vis eſt eadem: tamen inſtrumentum, id eſt, calor ipſe multo uſu debilitatus ac detritus, non poteſt, quod ab eo jure naturæ exigitur, perficere penſum. Quo fit, ut à primis annis, & in vigore ætatis vegetior, reliquo temporis decurſu victus fiat, & quotidiano agitatus opere defeſſus flacceſcat, ultimoque prorsùs aboleatur.

2 Ad ſecundi dubii ſolutionem hæc paucis habeto, naturam tùm ſingulis rebus, etiam caducis, tùm hominibus, perpetuitatis inge-

genuiſſe deſiderium: nihil enim legibus
ituræ reluctantius, quàm vitâ & ſpiritu pri-
ri, quod unusquiſque in ſeipſo poteſt expe-
ri, ſi quando ſubit animum ejus rei cogita-
, quantam trepidationem, pavorem, for-
idinem incutit? ideoque unuſquisque
ili de aliquo dolorum fomento, levamine,
dilatione mortis ſolicitus eſt, cum omne
turale, ſicut etiam vita, ſit amicum natu-
. Mors contra naturæ inimiciſsima maxi-
eq; contraria, πάντων φοβερῶν φοβερώτατος ὁ θάνατος, omnium terribilium terribiliſſimum.

Ideoque mortem licet multi, corporis
imique ægritudinibus afflicti, quandoque
ptent, natura tamen, cum ad deſpera-
nem ſanitas redacta eſt, eandem modis
nibus refugit atque averſatur. Tan-
n vivendi deſiderium in agone conſtitu-
tenet, ut facilè aureos montes ſuis polli-
ntur Medicis, quos undique convocant.
l et ex aſtantibus, plebeiis & aniculis ſciſci-
itur, ſuæ quid ex uſu ſit valetudini, nec
icquam intentatum relinquunt, quod vel
itillum ſalutis & alleviamenti videatur ſug-
ere. Veruntamen de cauſis prædictis ho-
nem interire tandem neceſſe eſt.

3. Ad illationem tertiam quod attinet,
endum, multos multa polliceri, quæ non
ſtant: quicquid ſit, negari tamen non pot-

eſt, Medicos poſſe ſenectutem diu retardare, non ut in multa ſecula protrahatur vita, aliàs Principes & Reges longævitatem auro eſſent emturi, adeóque in ſummo pretio & exiſtimatione Medicos ſuos habituri: ſed ut præfixa ſtataque vitæ periodus, quam vix aſſequitur milleſimus, attingi queat.

Hinc Galenus inquit libro de maraſmo: ſenectutis marcorem exolvere impoſſibile eſt, auxilium verò ferre, ut quàm diutiſſimè extendatur, poſſibile. Citiùs tamen hic, tardiùs ille terminum vitæ præfinitum & à DEO præſtitutum aſſequitur, nec cujuſvis vita ad extremam uſq; ſenectutem protrahi poteſt, quantumvis continentia & artificis induſtria accedat, cum multæ ſæpiùs infirmitates & ad interitum mox ſubſecuturum diſpoſitiones hominem naſcentem comitentur: & ita ſubjectum nobis ad diuturnitatem vitæ minùs idoneum exhibetur. Cogimur & hoc fateri, non ſolùm homines naturâ validos ſæpiſſimè providentia humanâ, ſed etiam valetudinarios vitam longam frequenter conſequi, ut non mirum ſit, Herodicum, quendam literarum Studioſum, ſui temporis infirmiſſimum, ut Plato & Ariſtoteles teſtantur, ejuſmodi

diligentiâ

genriâ annum ferè centeſimum impleviſ-
Expertus ſum ipſemet (quod diligenter
ent literati, & prudentes Viri, debilem
nulam in fragili corpuſculo & macilento
ntes) multos imbecillos, qui facilè læ-
tur ab externis injuriis, prudentiæ & cõ-
ntiæ munere robuſtiſſimorum annos ſu-
îſſe.

4. Quibus de cauſis tot ſeculorum vita
iarchis & Majoribus noſtris contigerit,
is alius nobis dicendi locus propoſitus
Officio noſtro ſatisfaciemus, in ſtando,
ad ejus fieri poteſt, ac prohibendo, ne
lis corpus in tantum ſiccetur, ne tàm citò
ctionibus ſuis deſiſtat, quod, Deo annu-
, ſecretis quibuſdam medicamentis, &
veniente diætâ non ſeverè quidem præ-
ptâ, facilè obtinebimus. At ſi fieri poſ-
ut eſſentiam cordis ipſius ita humidiorē
eremus, aut cæterorum quoq; viſcerum,
a conſumta in totum reparando, ac re-
ando, utique ſenium cohiberi, homoque
nortalis effici poſſet. Verùm cum nul-
ieque cibus, neque potus, neque ullum
licamentum adeò ſit efficax, ut abſum-
i integrum reſtituere, omniaque viſcera,
non arterias & venas ſubinde ſeipſis hu-
iores reddere poſſit, neceſſe eſt, totam
oris ſubſtantiam progreſſu temporis
fieri

fieri ſicciorem, quæ tamen ariditas & flacciditas ſolertiâ noſtrâ differri, licet non planè prohiberi, poterit, quod quidem in ſenibus refectione ac renutritione præſtatur.

Sed objicitur mihi à bibulis, intempetantiam in potu, cum inde humectentur arefactæ partes, non improbari poſſe, ſed facilè me expedio, humidum radicale ſuperfluâ iſtâ humiditate, utpote excrementitiâ, nõ irrigari ac nutriri, ſed potiùs opprimi & ſqualidius fieri. Ac licet menſura debita in aſſumendo potu non excedatur, præſtantius tamen eſt id, quod abſumtum ac diſſipatum eſt, quàm quod apponitur. Verùm ulteriùs inſtant, Senes quoq; eſſe humidos, cum alvi non infrequenter ipſis humectentur, ita ut ſæpiùs excernant liquida, & ſic pituitâ redundantes ſputo mucoque os & nares habeant oppletas. Humidi quidem ſunt ſenes, non quidem quoad ſubſtantiam partium ſolidarum, ſed quantum ad excrementitias humiditates attinet, quæ debilem caloris concoctionem, impeditamque diſtributionem comitantur. Hinc refrigeratis & ad ſiccitatem devolutis partibus corporis ſolidis, capacitates & humorum conceptacula excrementis implentur. Propter hanc ipſam cauſam, excretionemque liquidorum per alvum ſine

dubio

io injurioſo titulo ab improbis oneran-
ſenes, cum(ſalvo pudore)vocantur caca-
di; ſed propter frequentes ſcreatus,
emetes,

Manebit igitur indiſcuſſum, homines
imilem marcorem redactos reddi ſiccio-
ac frigidiores: Nec obſtat, quod ſenes
nulli corpore præpingvi atq; obeſo con-
iantur.

CAPUT XII.

*uo primum obiter de Vita irrationali-
im, brutorum & Arborum, poſtea de
ermino humanæ Vitæ, & quod homo
longiſſimâ Vitâ digniſſimus ſit, tra-
ctatur.*

Vædam animalia diutiùs, quædam bre-
viùs, quàm homo vivit: inſecta complu-
aucos dies ac menſes, nedum annum in-
um, vivendo ſuperant, ut locuſtæ, mu-
Apum vita longiſſima ſex vel ſeptem
is completur, nec unquàm examen apũ,
oſperè cum eodem agatur, ultra decem
os duraſſe proditur. Paſſerculos ultra
um vix vivere cenſet Ariſtoteles. Palmam
inter

inter annoſiſſimas arbores Plinius recenſet. Elephantem, ut narrat Ariſtoteles, alii ducentos, alii trecentos annos vivere perhibent, lib. 8. H. A. cap. 9. Idem 4. H. A. cap. 10. docet, majora, perfectioraque ſanguinei generis animalia plus temporis vivere, hominem quidem plus, quàm quodvis animal, excepto Elephanto, quamvis idem homo minoris incrementi & molis eſt, quam alia complura. Ariſtot. lib. 8. H. A. cap. 9. Camelum ad centeſimum annum facultatem vivendi protrahere aſſerit. Plinius ſcribit lib. 8. cap. 32. captos cervos fuiſſe poſt annos centum cum torquibus aureis, ab Alexandro Magno illis circundatis, qui & obeſitate carniſque excreſcentiâ fuerint circa collum operti. Oleum, Palmam & Ulmum ipſo Elephanto diutiùs vivere, Scaliger commemorat. Sed & Fagum, Quercum, Cupreſſum, Abietem, arbores annoſas fieri, experientia per manus hominum tradidit, quorum monumentis poſteritas adjuvatur: neque enim noſtrum, quibusvis ſeculis arborum metiri ævum. Equus magna ex parte annos 35. vivit, equa ultra 40, ſed & uſq; ad 65, vixiſſe equum, lib. 5. H. A. cap. 14. atteſtatur Ariſtoteles. Et lib. 6. de H. A. c. 22. ſic inquit: Vita equorum plurimis ad 18, atque etiam 20. annum: ſed nonnulli etiam

25. &

& 30. egerunt: & ſi cura diligenter adhi-
itur, vel ad 50. protrahitur ætas. Lon-
ſima tamen vita in pluribus ad triceſi-
m annum durat, quod magna ex parte
imus.

Quàm diu homo vivere ſoleat, niſi vio-
ta morte tollatur, ipſa teſtatur experien-
idemque ex ſacris, inprimis ex Pſalmo
non obſcurum eſt. Rochaf annorum no-
rum, id eſt, latitudinem, ſeu excellenti-
humanæ vitæ deſcripſi ſupra. Terminus
), ſeu longitudo ejus ad ſeptuageſimum
octuageſimum annum ad ſummum ex-
litur, quemadmodùm Moſes, Dei ſer-
ſine dubio à Deo ſic informatus, in Can-
ſuo, quod Pſalmis Davidis annumeratur,
is oſtendit.

nte diluvium ſatis diu vixerunt homines:
oſt diluvium non exigua pars humanæ
abbreviata eſt: ſiquidem tum tem-
s uſque ad Abrahamum trecenti & du-
i anni terminum vitæ conſtituerunt.
ue porrò Abrahamus hanc metam aſſe-
s eſt, ſed ad centeſimum & ſeptuageſi-
n quintum pervenit annum. Iſaacus
annos 180. Iacobus 147. Ioſephus 110.

Quanta

Quanta verò nunc abbreviatio eſt vitæ noſtræ reſpectu Patriarcharum? immò nec milleſimus quidem divinitùs deſtinatum terminum attingit, ſed plurimi propriâ culpâ & temeritate occumbunt, ut nihil dicam de juſta vitæ periodo. Alii non quidem culpâ ſuâ, ſed providentiâ divinâ ſic diſpenſante, celeriùs vitam cum morte comutant, & multi intra annum quadrageſimũ & quinquageſimum, ad vitæ exitum vocantur, nec mirum, ſi nonnulli cancellis adhuc uterinis incluſi, cæteri vix eoſdem egreſſi, aut in vernantis ætatis flore deprehenſi, divinâ voluntate è vivorum contubernio evocentur. Sed & hic terminus non adeò aſolutè fit vel fatali quodam decreto, ſed reſpectu cauſarum ſecundarum, quibus Deus curſum ſuum relinquit, & iiſdem variatis ac mutatis, eundem mutat, promovet, ſuſpendit, prout ipſi viſum fuerit.

Meta ſatis prolixa, reſpectu præſentis & calamitoſi ſeculi, præfigitur annus ſeptuageſimus & octuageſimus, hos longè ulteriùs tranſilire velle, dementiæ eſſet. Nonagenarius ac Centenarius ſenex rara avis in terris. Si quis tamen remediis licitis annos ſuos longiſſimè poſſet extendere, tunc illud magis foret honorificum, & gratâ erga Deum commemoratione ſuſcipiendum.

Dignus

Dignus profectò eſſet homo, qui diuti-
cæteris creatis viveret,reſpectu ſuæ digni-
is & nobilitatis, non modò quia eſt ſimu-
rum D E I, ſed etiam quia cum delibera-
ne factus eſt: in aliis ſiquidem corporibus
ɔducendis dixit Deus,& facta ſunt: in ho-
nis verò creatione, tanquam inter ſe deli-
-antes perſonæ dixerunt: faciamus. Dein-
Dominus quoque ſtatutus eſt Homo reli-
ɔrum animalium, ut ipſi,tanquam morta-
ıturo,eſſent in alimentum, indumentum,
laboris adjumentum. Hominem inſuper
:erås animantes dignitate naturæ multum
:cellere vel hinc probatur, quod beluæ ab
minibus domari & manſuefieri poſſunt:
mines à beluis nullo modo.

Verùm hîc non immeritò quæritur, cur
mini, utpote animanti nobiliſſimo, & te-
-atiſſimo non etiam vita longiſſima con-
latur, cum optimũ jure merito etiam de-
ıtur optimo: nam Elephas,& plantæ non-
llæ, v. gr. olea, palma, ulmus diutiùs vi-
ıt, ideoque videntur hominem tempera-
nti bonitate ſuperare? Sed reſpondeo,di-
ùs vivere non ſemper à temperamenti p-
-tione juſta dependere: neque etiam cen-
i debet optimum in natura, diutiſſimè vi-
e, ſed ſapientiſſimè vivere, hancque præ-

 ſentem

ſentem hominis vitam non eſſe revera vitam, ſed viam duntaxat ad vitam, quæ in cœlis, ubi veræ ſunt manſiones, æterna erit. Aliis animantibus, quod adeſt, ſuum ipſorum eſt: Homini quod adeſt, eſt propter id, quod abeſt. Negari quidem non poteſt, temperamentum eſſe quaſi inſtrumentum formæ ad conſervationem, ſed per ſe cauſam non eſſe. Nec obſtat, quod bruta nonnulla ſenſuum functiones perfectiùs obeant: nam viſu aquilæ, & lynces; adoratu canes, & vultures: guſtu ſimiæ: tactu araneæ & ſerpentes; auditu apri & talpæ hominem ſuperant: homo enim animantes omnes ſola ratione, antecellit, neque præſtantia quarumlibet animalium functionum majorem temperamenti nobilitatem arguit.

CAPUT XIII.

Cur Patiarchæ & Majores noſtri diutiùs vixerint.

PAtriarchæ multis de cauſis tot ſeculorum vitam ſunt aſſecuti: 1. Virtus enim naturæ humanæ longè vegetior ac fortior in Patriarchis & Majorib. noſtris extitit, cum fonti & principio ſuo fuerit vicinior; hinc adeò fit, ut progreſſu temporis omnia animantia fiant infirmiora, unde tàm externis q̃ internis injuriis

riis minùs reſiſtere valent. Hoc ipſum ani-
ıdvertere licet in partib. humanis, quę quò
:ui & nativo calori, in corde potiſsimum
ïdenti, ſunt proximiores, eò calidiores
ſtunt, quò verò remotiores, eò frigidio-
:: ideoque extremitates, brachia, & pedes,
orem modicum foventes, primò omnium
ore ſuo privantur, & moriuntur: Viſcera
ò, v. gr. ſtomachus, epar à frigore non
ı citò offenduntur, cum ipſorum calor à
de magis refocilletur, cum calorem nobi-
ımum attrahant, ſibique accomodent.
jora quoque & grandiora corpora propter
ſam prædictam habuerunt Patriarchæ,
ıibus tanquam fortibus fortes eorum po-
i, Majores noſtri, fuerunt procreati, quod
en ſucceſsionis & propagationis jus, tot
ılis intervenientibus, magna ex parte
tur enervatum ac propè deperditum.

2. Exiſtimant nonnulli, majorem
fuiſſe Medicæ artis, & remediorum ad
ndos morbos peritiam, multoque ma-
m viguiſſe tùm temporis cognitionem
ɔarum, fructuum, lapidum, & aliarum
m, quæ ad tuendam producendamque
n, vim inſignem obtinebant, eaque ab
mo quaſi per manus ſuæ poſteritati ne-
:ntiùs tradita eſſe, & parciùs comunicata.

Verùm mea hæc eſt ſententia; cum inferiora hæc dependeant à ſuperioribus, & verò cœleſtium virtutem, quæ in ſublunaria demittitur, actione continua infringi & defatigari non obſcurum ſit, quid mirum, ſi & μικρόκοσμος ob defectum caloris ſolaris, viriumque ſidereorum langvorem langvidior evadat. Hinc non modò decurſu temporum veteres iſtæ Gigantum familiæ, & frequens eorum ortus deſiit: ſed & ab ea magnitudine corporum, quæ non prodigioſa, nec adeò immanis, ſed conveniens, & proportionata tunc erat, humana natura noſtro ſeculo deſcendit: quia virtus ſpermatica, nutritoria, & auctrix paulatim degenerant, quemadmodùm res omnes humanæ in deteriorem ignobilioremque ſtatum à priſtina ſua conditione deflectendo ruunt.

Noſtrates de annonæ caritate conqueruntur: de frumentariæ rei difficultate majores quoque noſtri conqueſti ſunt: bone DEus, de poſteris noſtris quid fiet, cum jam ſic ingraveſcat annona, ut jam ferè inopia, & fames, non caritas timeatur? Conſtat autem, Achillea iſta corpora quondam de calido & humido plus participâſſe, eamque ob cauſam vivaciora extitiſſe, quàm contractioris ſtaturæ corpora. Sed quæ ratio, quod in paren-

rentum & liberorum ſtatura tanta varie- deprehendatur? ſidera natalitia fato cui- et aſſignata, cœleſteſque influentiæ, & æcunque ad conceptum, formationem. tuteſque in corpore delineandas concur- ıt, ſic afficere, ac diſponere prolem facilè ſſunt, ut ejuſmodi diverſitatem emergere ceſſe ſit, quæ nunc ſub exigua & Davidica antitate conſpicitur, nunc ad giganteam odammodò vaſtitatem, ſeu Goliatheam eritatem accreſcit. Licet negari nō poſſit, tutem contractam, probéque tempera- n in pupillo corpore quandoque præſtan- rem eſſe, quàm dilatatam in obeſa & pro- a corporis mole, nec ritè diſpoſitam.

3. Cur poſteritas Patriarcharum bre- rìs ſit vitæ, ratio quoque deſumitur ab lementia terræ, quam inhabitamus, quæ ɔlicem maledictionem ſubiit, tàm ante ıvium, quàm poſt diluvium: nam tantâ ndatione factâ, fructus terræ, quibus ho- ıes jam veſcuntur, nōn tantæ ſunt ampli- irtutis, quàm antea, ſolo nondùm aqua- n ſalſedine conſperſo, unde ſterilitas in- itur, ut patet ex ſacris Deuteron. 29. v. 23. udic. 9. v. 45.

4. Majores noſtri parcè, ſobriè & con- ɔnter vivebant, nec tantâ diffluebant lu-

xuriâ, ſtruices patinarias, vario condimentorum genere conſperſas, ſtomachi vires infringentes, morbos invehentes, vitæque plurimùm derogantes, abhorrebant, naturam, quæ paucis contenta eſt, non onerabant, ſed luxum deliciasq; reſpuebant& deteſtabantur. Quanta namque vecordia atque inſania eſt, in voluntarium interitum, quem nobis imminentem cernimus, præcipitem ſe dare: at quid hoc aliud eſt, quàm in exitium voluntarium ruere, ſi, præſertim tàm crebrò, ingluviei indulgeas?

5. Quàm plurimæ ſunt manſiones in beatorum palatio & contubernio, hi contubernales deſiderant eos, qui in hiſce terris vitam Deo placentem tranſigunt, ideoque pii ſæpiùs ex hominum conſortio præmaturâ morte evocati, ad cœleſtium ſanctimoniam & familaritatē nutu divino commigrant, ut impleantur ædes cœleſtes, Luc. 14. Multi hac quoque de cauſa præpropero abripiuntur obitu, ne inimicam vitæ ſubſequentem tempeſtatem cogantur intueri, aut deterioris ætatis incommoda cum impiis ſuſtinere, Eſ. 26, & 56. ne pravo ſodalitio inquinati & à recta ſemita ſeducti, in avia deflectant, aut hæreticorum veneno infecti animam perdant, Sapient. 4, vel, ne injurias ingrati mundi de-

vorare

rare ampliùs cogantur, quò remoti ſuppliium divinum improbos obruat, Eſaiæ 3.

6. Cum atrocia delicta atroces ſequanr pœnæ, hominesque propter admiſſa de-ta, variis ægritudinum procellis jactentur, æ nihil aliud ſunt, quàm prodromi mors, quid mirum, ſi multiplicia hominum gitia, eaque grandiora, divinam majeſtam ſic offendant, ut ab iis talentum concretum, malè locatum, citiùs repetatur Pſalo 90. Sed de his caput ſequens pluribus actabit.

CAPUT XIV.

itam longam deſiderantibus Pietas cumprimis neceſſaria eſt.

DEbes, amice Lector, in hac Philoſophica & medica contemplatione, cumpriis animum ſic inſtituere ac moderari, nihil ad te ipſum, vel ad quævis auxilia humana imariò referas, ſed manare, ac derivari à EO cuncta exiſtimes, qui perennis æterusq; bonorum omnium ons eſt: nos enim, t nos, nihil ſumus: aliquid autem atq; adeò lurimùm & à Deo, & per Deum eſſe poſſuus, ad quem ſi actionũ noſtrarum auſpicia

& vota referemus; ad optatum ſanè ſucceſſum cuncta provehentur. Deus pietatem nobis injungens, ab illicitis voluptatibus & vitiorum illecebris nos revocat, atque ad honeſtatem, vitæque frugalitatem à doloribus alienam, nos invitat. Attende, quantum in nos miſeros divina exuberet miſericordia, in qua potiſsimum vitæ noſtræ tabernaculum conſtituemus: optimè nobis cupit Deus, nec noſtro gaudet interitu. Noli igitur oblivione delere memoriam legis divinæ, nam longævitatem felicitate decoratam tibi conferet, Proverb. 7. Pietas enim ad omnia utilis eſt, habetque promiſſionem hujus & futuræ vitæ, 1. Timoth. 4. Immorigeros atque impios vitæ ſuæ curriculum non compleviſſe, ſed propriâ temeritate interrupiſſe, exemplo Iſraëlitarum ſtabilitur, Num. 14. Legitur expreſſa comminatio improbis indicta Deuteron. 30. Si averterit ſe cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus, adoraveris Deos alienos, & ſervieris eis: prædico vobis hodiè, quod pereundo peribitis, & non prolongabitis dies ſuper terram. E contrario Deus veneratoribus ſuis vitam longam pollicetur, Exodi 23. v. 26. ſervietis Domino Deo veſtro, ut benedicam panibus tuis & aquis, & auferam omnem infirmitatem de medio tui, & numerum

m dierum tuorum complebo. Item Exodi . Honera Patrem tuum & Matrem tu-, &c.

CAPUT XV.

petentibus longam vitam proba educatio à teneris neceſſaria eſt.

Um homo ex corpore & anima ſit conflatus, & utraque pars mutuis devincta officiis, utrobique non ſegniter erit vigidum: corporis namq; vitia mentem quoper conſenſum ac lege quadam conſorfficiunt. Hinc corporis inculpata diſpo commodiùs etiam ſubſervit animo: & verſa mens benè culta riteque informaorpori fideliter proſpicit, quidque ſaluquid inſalubre ſit, prudenter præſcribit. e colligere licet, quantum referat, à teneconſveſcere, non parùm certè, ſed permultum, non modò ad animi, ſed etad corporis cultum & incolumitatem qet. Cui namque lux hæc ſvavis eſſe poſaut ſpiritus hic jucundus, qui corpus à ris afflictum, morbisque fœdiſſimis inatum, parentumq; incuria languefactum m fert? brevior certè vita huic pertinneda eſt.

Qui verò mentem obſcœnis undique vitiis ab ineunte ætate obſitam ac deformatam gerit, qua ratione corpus à morbis vindicabit, quomodovè proſpiciet, ne quid inde labis aut contagionis, longævitati prorsùs adverſantis, corpori affricetur? Quamobrem utriuſque partis ratio habenda, immò neceſſe eſt, ut cum nutricis lacte moribus quàm optimis imbuantur liberi, ne in delicato, ſed ſimplici victu, non in ocio, ſed labore: non in luxu, ſed rerum omnium parſimonia: non in licentia, ſed timore, primam eam, tenerámque traducant ætatem. Mollis enim educatio nervos omnes & mentis & corporis frangit: quam in adoleſcentia, nec non in reliquo ætatis progreſſu ac decurſu, temperantiam præſtare poteris, quem puerum, adeoque infantem parentes conquiſitiſsimis epulis omniq́ue obſoniorum genere ingurgitant, eiq́ue ad exercendam turpitudinem feneſtras amplas aperiunt? Qua ratione ſobriùs olim futurus eſt is, quem à pueritia parentes ebrioſum efficiunt? Magnam brevitatis vitæ partem in liberis parentes ſibi vendicant, qui liberis ſuis habenas uſque eò laxant ac remittunt, ut in eis plerunque ſit infinita rerum licentia, quæ corpus animamq́; perdit, interitumq́ue præmaturum accerſit.

Ut

:itaque prolem tuam aſsveſacies, ita habis: conſuetudo enim eſt quædam natura ſcititia ſeu acceſſoria, cum per conſuetu-nem inducatur diſpoſitio ſimilis potentiæ l impotentiæ naturali. Quis non facilè au-raretur, ex illa herbeſcentis adhuc, ſeque ulatim exerentis, probeque informati in-nii teneritate magnas aliquandò virtutis ſapientiæ, quæ in cognitione ſui maximè ›minatur, fruges extituras? fruges, inquam, brietatis, & continentiæ, ſanitatis ac lon-:vitatis. Cæterùm non animo modò, ſed corpori à primis incunabulis benè proſpi-endum, ſalubria alimenta exhibenda, calor :mio xel calidiſsimo potu non ſuffocandus, d modico, eoque temperato irrigandus, mne frigidum, utpote calori, virtutique tali inimicum, ſedulò arcendum. Quę verò oxam & qualemcunque labeculam ætati te-errimæ obtrudere conantur, ut ſunt ſuper-uitates congeſtæ, ac ſæpenumerò ex utero naterno attractæ, providentiâ & induſtriâ, ıuâ decet ac par eſt, avertendæ. Sed de his n parte altera hujus libelli, ubi praxis pro-›onetur, pluribus acturus ſum: nunc theore-ica commemoràſſe ſufficiat.

CAP. XVI.

CAPUT XVI.

Quid ſit calor innatus, & humidum radicale.

CUm ſupra dictum ſit,vitam præcipuè calore, ceu proprio fomite contineri, non inanem operam me inſumturum exiſtimo, quid calor, quid humidum, quid ſpiritus ſit, commemorando: ſiquidem fundamentis in præſenti diſquiſitione legitimè jactis, facili negotio in intimos Naturæ receſſus & Arcana funditùs indaganda nos inſinuabimus, nihil quicquam curando, quid bilioſus atque elatus Momus, caſtigatione dignus, hac in parte nobis oblatret. Quæritur hîc, quid in homine ſit τὸ θερμὸν ἔμφυτον, calor inſitus, ſeu naturalis: Aliqui ejus originem è cœlo deducunt, non ex Elementis, ſcitu digna quæſtio, magisque neceſſaria: quàmdiu enim, vel exiguus etiam, & momentaneus ineſt in corpore calor intimus, tàm diu profectò ipſum & vitâ frui, conſtanter aſſerimus. Quam diu namque calor vel tantillus moribundis inhæret, licet extrema frigida contrectentur, peneq; omnes operationes internæ deſiſtant & labaſcant: quàm diu quoque ſpiritum hinc inde reciprocantem, quippe qui vitalis intra con-

tenti caloris indicium eſt, ducere poſſumus, tàm diu certè vitam ducere pronunciamur.

Meo quidem & aliorum quorundam judicio calor iſte vitalis aut eſt corpus elementare, puriſſimum tamen atque elaboratiſſimum, ἀνάλογον aſtrorum Elemento, & divinæ cujuſdam naturæ particeps: aut qualitas calorifica, & vivifica, corpori aërio & ſpirituoſo inhærens, partim à calore cœleſti, partim ex temperie primarum qualitatum genita, vel, ſi mavis, propria qualitas humidi primigenii, per ſemen in prolem propagata, partibusq; ſolidis χετικῶς ac firmiter infixa, qua omne animans actu calet primariò, cujusque virtute vitam accipit, & conſervat. Sed cur modò Elementarem, modò cœleſtem vocas eundem calorem? reſpondeo, quia ortum trahit ex Elementatis: fovetur quoque & ſuſtentatur ſanguine, ex ſumptis alimentis genito: juvantur ejuſdem actiones à calore Elementari temperato: à frigido verò, utpote contrario ſuo, offenduntur, ideoque vocatur Elementaris.

Cœleſtis verò ac divinus idem calor dicitur, cum ſit autor & conſervator vitæ, corporisque viventis proprius, nobiliſſimorum ac divinorum operum effector: regitur etiam ac juvatur à calore cœli, ut in ſtirpibus quoq; videre

videre eſt : & æqualitate quadam ſuâ calori cœleſti eſt ἀνάλογος, tùm denique ipſius animæ proximum inſtrumentum,

Quid non in nobis præſtat calor? hic vitæ noſtrę dux eſt, his lucis noſtræ moderator, hic autor eſt atque opifex ortus noſtri & motus, hic nos uſque ad extremum halitum tuetur, gubernat, amplectitur. Virtutes iſtæ meritò vocantur divinæ, cum ab anima, tanquam à forma, quæ utique divinum quid eſt, imprimantur, adeò ut Hippocrat calorem ipſam animam nominare auſus fuerit. Caloris verò appellatioem ſortitus eſt calor innatus, à facultate calorifica, ab Elementis inducta, & quà corpus tactu eſt calidum, unde cōplures profluunt actiones. Et ut multa paucis complectar, πᾶν ἔμψυχον ἔχει θερμότητα Ariſt. lib. 2. de anima cap. 4. quicquid vitam agit, ſalutari calore perfuſum continetur & regitur. Dicitur idem calor etiam nativus, ſeu innatus, vel etiam naturalis, quia cum omnes particulæ, totumque corpus à primo ſtatim ortu naturaliter unà cum vita obtinent, ejusdemque caloris naturalis virtute conficitur, & coquitur alimentum, ac nutritio, actioq; procuratur. Dicitur porrò congenitus, implantatus, & fixus in ſolidis, quia ſtatim ab initio generationis affluit, & membris infixus

tena-

tenaciter inhæret. Ab anima dicitur animatus, & vivificus ſeu vitalis, quia eſt in viventibus & animatis, & organum eſt animæ, ut dictum eſt, immò totius naturæ organum. Ἔμφυτος autem ſeu inſitus calor duplex eſt: unus σύμφυτος congenitus. hæres in partibus ſolidis: alter ἐπίῤῥυτος, influens à corde: uterque dicitur ἀρχήγονος ſeu ἀρχαιόγονος, quia à prima creatione per ſemen in ſingulis animantium ſpeciebus propagatur.

Deſcribitur calor innatus, quod ſit humidum primogenitum, inſito ſpiritu & calore vitali undique perfuſum: tàm firmiter enim cohærent humidum radicale, ſpiritus, & calor innatus, ut à Medicis ſæpè confundantur, & unius mentione reliqua etiam ſubaudiantur: mutuas ſiquidem atque individulſas conferunt operas, nec abſque vitæ interitu ſeparari poſſunt.

Humidum certè caloris noſtri ſubjectum & baſis exiſtit, gratumque pabulum calori ſubminiſtrat: Si enim calor ſanitatem conſtanter ac diutiſſimè tueri debet, utique neceſſe eſt eundem in ſtabili perennique humido, quò in longum protrahi vita poſſit, perſiſtere, diuque percunctari.

Spiritu

Spiritu quoque calorem circumfundi & nobilitari opus eſt, quò per corpus celerrimè diffuſus, vires ſuas undique devehat, omnia connectat, ſuaque vi imbuat.

Dicam clariùs: calorem nativum utrumq; voco, tùm innatum membris, conceptumq; à prima origine, partibus humidis ſiccisq; intertextum: tum virtute cordis, (quod eſt ſcaturigo dives) vivificâ incenſum, & membris jam abſolutis inſitũ, cujus beneficio innatus ille calor excitatur, fovetur & conſervatur, cui viciſſim niſi ſuppetias opemque ſubminiſtram porrigeret influens calor, non modò non conferret quippiam reliquo corpori, ſed nec ſeſe diu à corruptionis labe, multò minus partes reliquas, quibus inhæret, ab interitu tueri poſſet. In corde quidem potiſsima portio ſubſtantiæ caloris reſidet, ideoque ex ſanguine ſubinde ὑπέκκαυμα quoddam calori vivifico in ſubſtantia illa aëria & ſpirituoſa accedit. Ut autem calor innatus duplex eſt, innatus & influens: ſic humidum quoque radicale, quod loco caloris ſæpiſsimè ſumitur, duplex eſt: ac ne benignus lector in errorem ducatur, eodem modo de radicali humido, ut de calore, ſtatuendum eſt, cùm unum pro altero ſæpiùs accipiatur. Quapropter humidum innatum, à prima origine, partium

ſubſtan-

ſubſtantiæ,& in verè ſolidis ex ſemine,in carnoſis ex ſanguine propagatum, calorem nativum ſuſtinet, vehit & alit, & ab eodem viciſsim lambitur.

Alterum humidum ex nutrimento,tribus antea concoctionib. præparato, elaborato, partibusque agglutinato, in locum illius, quod abſumtum vi caloris & attritionis defluxit, ſuggeritur, partimque in adaugendi corporis molem ſecedit.

Utrumque innatum humidum Galenus ἔμφυτον καὶ σύμφυτον ὑγρότητα, ὕλην, & ἰκμάδα, id eſt,innatam & congenitam humiditatem,materiam, humorem, nominat: influens humidum appellat ante exactam nutritionem. οἰκείαν τροφὴν ἑκάστου τῶν μορίων, id eſt, familiare alimentum ſingularum partium: poteſt etiam ἐπίκτητον ſeu ἐπείσακτον,id eſt, acquiſitum, vel adjunctum nominari.

Innatum humidum ſeu σύμφυτον implantatur partibus, influens verò ſeu acquiſitum foris accedit, & formatis jam partibus, quaſi de novo, particulari quadam generatione adjungitur, fitque abſolutâ nutritione pabulum caloris nativi, commune cum priori humido.

Humor itaque fomentum eſt, ac indiſſolubile pabulum caloris innati, qui ipſi incumbit,

cumbit, ejusque munere ſubſiſtit, & conſervatur.

Calor humori, ut indivulſus comes, inſidet, illoque circumfunditur, virtutemque vitalem ſubminiſtrant.

Spiritus denique utriuſque, tàm caloris, quàm humoris eſt rector, gubernator, & agitator, cujus opera ad ſingulas corporis partes, per rivulos arteriarum, irremiſſo labore deducuntur, & hinc inde diſtribuuntur.

CAPUT XVII.

Quæ conditiones ad calorem nativum, ſeu ad humidum radicale requirantur, ut produci vita poßit.

CUm humidum radicale veluti vitæ noſtræ ſit radix quædam, firmiter iſtam infigi opus eſt, ſi vitæ termini debeant extendi: nam convenienti humido membra tabeſcentia & areſcentia ſunt irriganda, quò effluxus iſte caloris continensq; in aërem diſſipatio differri atque inhiberi poſſit. Sicut enim in ardenti candela elychnium cera vel ſevo oblitum imbutumvè, accenſæ flammæ: ſic humor radicalis igniculo nativi caloris ſubindè ſuppeditat pabulum.

1. Requi-

1. Requiritur itaque ad vitam diu fovendam humidum pingue, oleoſum, λιπαρὸν καὶ οὐκ αὐξήραντον; videmus enim, pingvia diu ſervari incorrupta: τὰ λιπαρὰ ἄσηπτα, inquit Ariſtot. modò ſint à ſordibus, ac humoribus excrementitiis probè defecata. Sic butyrum, quod non eſt ichoroſum, ſed probè agitatum, & expreſſum, inque ſua natura relictum, nec rebus aliis admixtum, putredini non facilè fit obnoxium: quod verò eſt nimis fluidum, nec diligenter repurgatum, facilè, propter aqueam humiditatem permixtam, rancorem contrahit. Sic nonnunquā gravium morborū interventu, & pravorum humorum admiſtione, humidum radicale tantoporè conſpurcatur, minuitur, alteratur, ut ſemianimes, exangues, tabidique incedant convaleſcentes; brevemque multoties vitæ terminum propterea attingant, cum humidum vi morbi adeò ſit exhauſtum, detritum, conſumtumq́; immò aqueâ humiditate ſic obrutum, ut in longum extendi non poſſit.

Sed quæ cauſa, inquis, quod tantum ſit attribuendum humido pingui? αἴτιον, ὅτι ἀέρος τὴν φύσιν ἔχει, quia multum de natura aeris participat: aër verò ad ignis naturam proximè accedit: ignis a. ratione ſui caloris non fit putridus, τὸ πῦρ οὐ γίνεται σαπρὸν, & in rerum conſervatione plurimùm valet.

Licet autem pinguia non planè ſint ἄσηπτα, minus tamen, quàm reliqua, putredini obnoxia deprehenduntur. Hinc oleum quoque non facilè putrefactionem ſubit, immò alios quoque ſuccos, adeoque ipſum ferrum à putredinis & rubiginis noxa vindicat. Hoc ipſum ſciunt pharmacopolæ, qui ſuccos herbarum & fructuum expreſſos, per ſe non diu durantes, ſed facilè mucorem contrahentes, affuſo oleo diu conſervant.

Sed quid ad illud Plinii, lib. 11. cap. 37. reſpondendum, qui præpinguia corpora celeriùs ſeneſcere dicit. Item ad illud Hippocratis lib. 2. Aphoriſ. aph. 44. παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι, id eſt, naturâ admodùm craſsi celeriùs moriuntur, quàm qui graciles. Iam verò ſi pingue humidum requiritur ad longam vitam, multò magis humidum copioſiſſimum, quod in obeſis & præpinguibus eſt, vitæ prolongandæ conveniet?

Reſpondeo, μηδὲν ἄγαν, ne quid nimis: nam πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, omne nimium naturæ inimicum: ideoque vocabula iſta, præpingue, & admodum craſſum, indicant exceſſum, qui eſt nocivus: Quod autem pinguedo, enormi quantitate per univerſum corporis habitum ſparſa, repentinæ mortis occaſio eſſe queat, ratio hæc eſt, quia ejuſmodi

di valdè obeſi venas&cavitates in corpore tenent anguſtiores, hinc proni ſunt ad obſtructiones, στεγνώσεις καὶ ἀποπλήξεις vaſorum, propter horum anguſtiam. Nam pinguedo excedens, inter venas & arterias adnaſcens, adeò arctè interdum conſtringit ſpiritus & vaſa ſanguinis, ut difflatio & ſpiratio plurimùm inhibeatur. Accedit & cutis denſitas, excrementa fuliginoſa retinens: unde calor inſitus, ſeu humidum radicale, faciliùs obruitur, & per ſtrangulationem opprimitur. Nec profectò omnes obeſi donati ſunt humido aërio & pingui, licet quibuſdam optimo temperamento præditi videantur: nam ipſorum permulti potiùs aqueo humido, craſſoque phlegmate ſunt imbuti, unde ipſorum calor infirmior redditur. Quin & ex nimia pingvedinis, quantumvis oleoſæ ſatis, humiditate calorem nativum obtundi, & opinione celeriùs extingui poſſe, liquidò conſtat, non aliter quidem, ac ſi nimio ſevo vel oleo ardentem candelæ flammam deſuper affuſo extinguas, aut ſi immodicâ lignorum congeſtione igniculum intus latentem, & ſufficienter ardentem, ventilatione prohibitâ, ſuffoces, & violenter deleas.

2. Cæterùm ad longævitatem non modò ſufficit humidum pingue, ſed requiritur

etiam humidum copioſum, proportione tamen reſpondens calori: nam facilè ſiccatur. quod paucum eſt, εὐξήραντον καὶ τὸ ὀλίγον. Hinc quia calor in humore, tanquam ſubjecto cōvenienti, reſidet, eundem ſubindè reſolvit, ac depopulatur, quo facto, tandem relinquitur ſiccitas. Quò igitur copioſius humidum calori diſcutiendum conceditur, eò majus quoque ſpatium temporis ad ipſius conſumtionem requiritur: hinc majora animalia & plantæ majores longioris vitæ ſunt, cum humidum copioſiùs obtineant, præſertim ſi illud ſit aërium, copiſoque calore circumfuſum: tale enim μήτε εὔπηκτον, μήτε εὐξήραντον futurum eſt, neque tàm celeriter frigore congelatur, neque tàm citò exiccatur. Eo modo diſpoſitum humidum radicale longè difficiliùs ab externis injuriis alterabitur, διὰ γὰρ θερμότητα οὐ πήγνυται. ut inquit Ariſt. 2. de Gen. Animal. cap. c. 2. τὸ δὲ εὔψυκτον, εὔπηκτον, quod facilè infrigidatur, ut humidum aqueum, facilè etiam conſtringitur, ac corrumpitur. Sic vinū generoſum frigoris injurias difficulter admittit: Herbarum aquæ vulgari modo deſtillatæ facillimè ab hyberno gelu ſuperantur: pretioſæ verò nil tale perpetiuntur.

Verum hîc contradici poſſet, homunciones

nes nonnullos pergraciles, in quibus humidum videtur exiguum contineri, ſæpè vivaciores eſſe, quàm alios, qui quadrato conſpiciuntur corpore, quibus abundantim humidi primigenii inſitam durabiliorem fore putaſſes: ſed diverſa eſt natura humidi, variatq; ſæpiùs pro diverſitate ſubjectorum: nonnunquam id quidem eſt mediocre, ſed optimè temperatum, ꝙ virtute ſuâ & κατὰ τὸ ποιὸν antecellere poteſt copioſum: atque ita quod modicum eſt, riteque temperatum, in vigore ac nitore ſuo diutiùs, quàm quod eſt κατὰ τὸ ποσὸν, conſervari poteſt: ſiquidem non ſemper reſpicienda eſt quantitas, ſed qualitas. Quamvis enim in corporibus grandioribus humidum ſit copioſum, non tamen ſemper temperatum, quo fit, ut injuriis vitæ inſidiantib. minus reſiſtere queat.

Hæc conſolatio me, quem natura ſubtilioribus membris conformavit, ut & alios bonos viros ac literatos, quos corpuſculo natura finxit imbecillo, ſuſtentabit, ne immodeſtiùs de illa conqueramur. Illa Athletarum latera non appetemus, cum ſtudiis noſtris frui nobis liceat. Gratias potiùs agamus naturæ, quod effecerit, ut omnibus fermè horis adverſæ valetudinis metu, ſpectanda nobis ſit ratio & continentia.

3. Ad perfectionem humidi vitalis, vitæque diuturnæ conſervationem, non modò requiritur humidum aërium & copioſum, ſed etiam purum, nec excrementitium: μὴ εὔφθαρτον, μηδὲ περιττωματικόν: nam dum excrementis ſcatet humidum, velociorem corruptionem ſubire cogitur: ὑγρὰ γὰρ τὰ σώματα ὄντα, πολὺ ἔχει τὸ περίττωμα, ὃ δή ἐστι νόσων αἴτιον, teſte Philoſoph. ſect. 1. probl. prob. 22. Humidi namq; immoderatio ſegetem morborum introducit, ejuſq; colluvies tùm mole, tùm qualitate ſua calorē nativūopprimens putredines parit, plurimiſque morbis occaſionem præbet. Humidum certè abundans, extraneique acceſſu contaminatum, diſſolvit robur virium, ſuperfluitates craſſas multaſque coacervans, progignit cruditates, copiâ, & lentore ſuo oſcula venarum & cutis obtundit, obſtructioneſque generando, & tranſpirationem prohibendo, tùm omnis generis febres, tùm aliorum complurium ægritudinum proventum, q. multùm vitæ detrahit, exuſcitat.

Hinc tantæ humorum exuberantiæ extirpandæ atque exſcindendæ tot conveniunt evacuationes, tot alvi ſubductiones artificiales, vomitus, ſudores, ſectiones venæ, tot cucurbitulæ, ad humidi excreſcentis ſqualidique ſubductionem, cuti affigendæ: Hæmorrhoidum

rhoidum quoque menſiumque profluvia ſtimulanda, tùm injectis clyſteribus, ſubditisque podici glandibus, ad alieni humidi à fonte caloris revulſionem.

Humidum radicale in nonnullis adeò luxuriat, ut in πολυαιμίᾳ videre eſt, ut ſingulis menſibus homo deſideret ſcarificationem, ſingulisq; ſemeſtribus Phlebotomiā, quò ſubtractâ ſanguinis copiâ, quantumvis per ſe laudabili, homo à febrium ardentiſsimarum inſultu immunis fiat, vel ne omnimoda caloris nativi ſuffocatio contingat.

CAPUT XVIII.

De diverſitate vitæ humanæ, cur in quibusdam brevior ſit vita, in aliis longior.

PRæcognitis cauſis vitæ longioris ac brevioris, faciliùs etiam poſthac remedia, vitæ producendæ inſervientia, eruemus: nám tùm demum in veram, perfectamque rei alicujus cognitionem devenimus, ubi cauſæ iſtius probè fuerint inveſtigatæ. Cæterùm controverſia hæc inter eruditos olim magnoperè agitata fuit, an qui longiùs vixerant, etiam ſalubri corporis conſtitutione fruerentur; &

vice verſa an qui brevioris vitæ eſſent, corporis inſalubritate laboráſſent, cum ſaluberrimo temperamento longiſsima debeatur vita, inſalubriori verò vita brevior?

Sciendum igitur, morbos nonnullos dari, qui hominem & inſalubrem, & unà brevioris vitę reddant: rursùs aliæ ſuboriuntur ægritudines, quæ notabilem noxam homini inculcant, ſed eundem de longa vita non dejiciunt. Quidam caſu & fortuitò hoc evenire contendunt, ſi valetudinarii & culpatæ conſtitutionis homines diuturniorem vitam, annosque complures attingunt; ſed hic error, & hæc indoctorum mentibus offuſa eſt caligo, mihi nihil eſt fortuitum, quod cauſis nititur naturalibus. Herculeã valetudinem obtinentes plerumque non adeò de valetudine ſua ſunt ſoliciti, ſed eam externis vitæ inſidiis audacter exponunt, ſe ferreos eſſe exiſtimãtes. Ex contraria parte hoſce ferrivoros multi valetudinarii, infirmiore ſanitate fruentes, vivendo ſuperant, propterea, quod in victu ſunt circumſpectiores, tantumque cibi & potionis adhibent ut reficiantur vires, non opprimantur. Cæteras quoque cauſas, conſervatrices ſanitatis ſtudioſiſsimè obſervant, procreatrices morborum declinant, aut corrigunt, venerantur media divinitùs ordinata,

quam

am circumſpectionem plures robuſti par-
pendunt, dum ad tempus genio ſuo impu-
indulgent, donec vitioſis ſuccis ſubindè
inſenſibiliter adauctis, præpter opinionē,
lint nolint, è vita excedant.

Sunt igitur nonnulli, qui malint non ad-
odùm tuta valetudine frui, dum habitiores
nt, & εὐφορίαν ſuam habent perſpectam, q̄ in-
gram ſanitatem poſſidere, & tenuitate at-
ıe imbecillitate aliqua corporis laborare, q.
ıſi parvi pendunt. Licet igitur in hac ſalu-
ritatis ſpecie vita longiore frui, modò im-
rudentia & nimia temeritate hæc non in-
ercipiatur: non etenim mirum, ſi in corpo-
is ſaluberrimi ſtatu mortis celerioris adven-
us retardari nequeat, ubi quis prorsùs incō-
iderate vixerit.

Sunt autem corpora nonnulla, ὑγιεινὰ ὡς ἐπὶ
τὸ πολὺ, id eſt, ut plurimùm ſalubria dicta, quæ
ıb incunabilis ſimilarium partium temperi-
ēın, diſſimilarium verò, & inprimis vi-
ſcerum principalium, ut ſunt, cerebrum,
cor & Epar, bonam quidem & mediocrem
habent conſtitutionem, ſed minùs tamen,
quàm illa corpora, quæ in eâdem ſanitatis
latitudine continentur, quæ ὑγιεινὰ ἁπλῶς,
id eſt, ſimpliciter ſana corpora dicuntur:

eaque

eaque in gradu ſanitatis remiſſo ſic collocata de vitæ longioris certitudine nihil certi ſibi polliceri debent, niſi ſubſidium medicum acceſſerit, quod partim admonitionibus diæteticis, partim pharmacis, deflectentem ſanitatem in tempore poſſit corrigere, præſentemque valetudinem tùm firmiorem, tùm ſtabiliorem reddere. Inſalubria porrò, ſeu morbida quod attinet corpora, diverſitate & latitudine, ſi ad amuſſim illa volueris examinare, non carent, ſed plurimùm variant.

1. Aliud quidem morboſorum corporum dicitur *νοσῶδες ἁπλῶς*, ſimpliciter morbidum, quod ab ortu ſtatim ſuo vel peſſima & inæquali prorsùs temperie, vel confirmatione partium injuſtâ, vel utroque hoc vitio laborat, quod vix diuturnam vitam aſſequi poterit.

2. Aliud inſalubre ſemper, *νοσῶδες διὰ παντὸς*, appellatur corpus, quod in ipſo quoque ortu inſignem adeoque inemendabilem noxam contraxit, ut cauſis externis, ſanitatem deſtruentibus, minùs auſit reſiſtere: & propter hanc ipſam cauſam brevioris vitæ eſſe ſolet, niſi præſertim Artificis alicujus ſolertia, & regimen accedat exquiſitum.

3. Eſt denique corpus inſalubre, *ὑδι-*

τερον,

...r, quod unius tantùm viſceris dyſcraſiâ laborat, mediumque tenet locum inter ſalubre... inſalubre corpus, & melius durare ſolet, ...iàm prædicta, poteſtque per omnes ætates ... perſeverare. Permultos novi ſenio confe... os homines, qui tantâ magnanimitate, & ...çclarâ cordis diſpoſitione inſtructi, tot tan... ...ſque morbi alicujus gravioris appulſus, al... ſionesque peracerbas ſuperârunt, ut & viri... us cordis, & medicamentis ſelectis, prom... isque aſſiſtentium, & uxoris præſertim offi... iolis illud acceptum retulerint.

Cæterùm nec infirmitas, quâ corpus inſa... ubre premitur, uniusmodi eſt, ſed latius pa... ...et: v. gr. temperies membrorum principum, (quæ potiſsimum attenditur, cum inde reliquæ etiam particulæ conſerventur, & idcirco vel melius vel deterius ſeſe habeant) vel eſt laudatiſsima; vel mediocris præſtantiæ, vel etiam exiguæ virtutis. In magna viſcerũ intemperie durare vita non poteſt: in mediocri & parva poteſt ſubſiſtere diuturnitas vitæ, ſi præſertim ſanitatis adhibeatur ſtudium. Idem judicium eſto de conformatione partium organicarum, & inprimis viſcerum primariorum, quorum inſignis depravatio vitam longam eſſe non ſinit: at mediocris vel exilis labecula organorum diuturnitati vitæ nihil

nihil vel parùm incommodat.

Temperamenta in univerſum quod attinet, magna in iiſdem deprehenditur diverſitas, nec unquam exactè temperatus, abſolutiſsimusque corporis ſtatus, qui Policleti regula dici mereatur, conſpici poteſt. Hominem quidem ad unguem formatum, in quo nihil deſideretur, & ad quem, tanquam ad lapidem Lydium, reliqui debeant explorari, fingere nobis poſſumus, demonſtrare verò minimè: ac ſine dubio parentes noſtri πρωτόπλαστοι, Adam & Eva, ejusmodi corporis habitum, mirificè ſcilicet afficientem, congruentemque prorsùs ſymmetriam, nullâque ſui parte claudicantem commenſurationem, ante lapſum exhibuerunt: talem puta, qualem Rempublicum Plato, qualem Oratorem Cicero ac Fabius, qualem concionatorē Chryſoſtomus imitandum proponit. Quamvis n. multi ſani exiſtiment, ſe accuratiſſimi temperamenti naturâ donatos atque inſtructos eſſe, deflectentis tamen in eo notæ quantùmvis apertè non elucentes, à Medico ſagaci animum advertuntur.

Qui verò corporis ſtatus ab exquſitiſſima temperie deflectunt & aberrant, inter hos calido corporis habitui principatus debetur, q. ut ordine prior, ita in conſervandâ ſanitate

ɛris potior, ſi humido & ſicco probè tem-
ɛtur: Nam vita conſiſtit ac fovetur in ca-
, mors in frigido, ut ſupra dictum eſt.

Deterior conſtitutio eſt illa; quæ calidæ liametro opponitur, & vocatur frigida, ı nulla ſui parte, ea; quæ ad fovendas & ıiliendas vires, vitamque prorogandam ſtant, multùm promovere poſſit. Itaque idior complexio, inſalubrior, cum pro- ɛ imminutum calorem omnes naturæ ones torpeſcant, ac ſegniores reddan-, ſeu concoquendi, digerendiq; munus ıicias, ſeu reliquas operationes exami-. Hinc ejuſmodi naturæ propter obtuſio-ı calorem ſcatent Phlegmate, craſsiſque erfluitatibus obruuntur, quæ, niſi ma-ɛ expellantur, vitæ plurimum officiunt.

Ejuſdem ferè malitiæ eſt ſicca corporis ſtitutio, cum è diametro humido radicali erſetur? vix dixiſſem, adhuc deteriorem hanc habitudinem, quàm frigidam, n hæc calidis medicamentis emenda- illa verò difficulter humectari poſ- Multi ſanè in vigore ætatis ejuſmo- habitum contrahunt, vel naturaliter hunc propendentes, vel ex depravata vitæ ıitutione, ex nimio vini potu, intempeſtiva

vigilia,

vigilia, immoderatâ venere aridiorem intemperiem ſibi aſciſcentes: Unde abſumto vitali humore, non ſecus, quàm ſenes, licet hi properantiùs, ad interitum tendunt. Hinc ſenectus eſt quiddam frigidum & ſiccum, oculis namque conſpicimus, nedum manibus palpamus, omnia, quæ in pueritia & juventute præ abundãtia humiditatis turgidula, & ſucci plena erant, in ſenectute flaccida, dura & rugoſa evadere, quæ ariditas corruptio eſt, & via ad putrefactionem & interitum.

Humidi temperamenti conditio non multum à naturali temperie aliena eſt, cum calorem promtè concipiat, ejuſq; actionibus obſequatur: illa ſi plus juſto excedat, faciliùs, quàm priores, ad mediocritatem reduci, ſiccoque adhibito attemperari poteſt, cum non adeò multum negocii faceſſat nobis humidi, quàm ſicci invaleſcentis, moderatio. Humido aſſignandum, ſi ætatem in multos annos proferimus, humidum calori aſſociatum procurat digeſtionem, ac nutritionem: nihil enim, quod humido deſtituitur, partibus alendis adhærebit: nihil, quod privatur humido, in debitam quantitatem erigetur: immò nihil ſuperfluum in ſiccitate & aſtrictione corporis exturbabitur, unde calor

inna-

ıatus nimium obrutus, & imminutus ju-
m vitæ metam intercipit, atque interclu-
, valetudinem miris modis convellendo,
optimoque ſtatu dejiciendo, dimovendo,
præcipitando.

Porrò geminatæ qualitates ac jugatæ, in-
emq; connexæ peculiarem diverſumque à
ioribus ſtatum conſtituunt, è quibus cali-
&humida conditio vitæ protrahendæ ma-
; arridet, quàm reliquæ *συζυγίαι*.

Nulla namque datur corporis diſpoſitio,
:xactam, quæ tamen nuſpiam invenitur, re-
ɔveas, quæ vitam longiùs extendat, magis-
e ſenectutem remoretur (quàm hæc ipſa,
ɔdò intra temperamenti, hoc eſt, calidi &
midi ritè temperati limites conſiſtat. Huc
figenda mentis acies, ad hanc complica-
n temperiem ſuam quiſque naturam, quo-
ejus fieri poteſt, informabit, ſi naturali
ɔrte, quæ ad extremum uſque ſenium de-
tur, vitam finire non dubitat. Optima
tur eſt ſanguineorum conſtitutio, ſiquidē
ırimùm de calore & humore ſalutari par-
ipant, quæ ambæ qualitates ſunt vitæ ful-
ım. Hinc ſanguis etiam, quia calidus &
midus eſt, ſuccorum omnium, in corpore
ntentorum, optimus, homini familiare &
mprimis domeſticū ſubminiſtrat alimen-

tum, vitæque pabulum jucundiſſimum. Sanguis ſuccorum εὐκρατισος, cum nullus inſignis in ipſo contrariorum exceſſus animadvertatur, nec calidum frigido, nec frigidum calido, nec humidum ſicco, nec ſiccum humido, multum in eodem ſuperetur: ideoque hoc gaudet natura & ipſius commercio jucundè fruitur. Siquidē temperata naturam ſervāt, in temperata lædunt, ac deſtruunt. In hoc aërio, dulci, rubicundo, ſyncero, defecato, amabiliq; liquore ſpirabilis naturę perſiſtit vigor, q hinc apparet, dum immodico ſanguinis profluvio, homo undiq; frigeſcit, totusque exanguis, ac tantùm non exanimatus, animi deliquio periclitatur, in ſummumq; vitæ diſcrimen, vitali ſpiritu dilapidato, celeriter adducitur.

Calidam & humidam conſtitionem proximè ſubſequitur frigida & humida, ex qua pituitoſa conditio eruitur: ſiquidem hic humor ſanguini familiaris eſt, tùm eſſentię ratione, tùm conceptaculorum ſocietate. Eſtq; hic ſuccus ex dimidio coctum almentum, nondumq; exactè elaborati ſanguinis rudimentum, quod ulteriore caloris innati acceſſione in benignum ſangvinem convertitur, cum prius partium chyli, ad epar delati, crudarum, frigidarum, & humidarum rebellio, vel etiam caloris interni debili-

ıilitas obſtaret : tàm enim hac,quàm illa oc-
aſione, hoc eſt, vel ob materiæ alterandæ co-
ıiam , & ineptitudinem, vel ob caloris con-
oquentis inopiam & languorem crudi pi-
uitoſique in corpore ſucci ſuccreſcunt,& ac-
umulantur. Huic largiori proventui niſi
empeſtivè occurramus, anguſtioribus limi-
ibus vitam circumſcribi neceſſe eſt : ſiquidē
alor ex aquea iſta humiditate obtunditur,
nde propter calorem remiſſum, minùs agi-
es atque expediti ſunt phlegmatici.

Hoc opus, hic labor eſt, calidam & hu-
nidam naturam in vigore ſuo tueri, ac dili-
;enter inſtare, ne ad ſicciorem ſtatum devol-
atur : quod ſiccitatis malum,quò diutius in-
ıibeatur, par eſt, omnes ingenii & medica-
nenti nervos intendere. Cum enim calidus
: humidus ſtatus, ætatis progreſſu, in frigi-
lum ſiccumque transmutetur : abſumto,per
aloris voracitatem, nativo humido, conſe-
ıuens eſt,ut jacturam inſignem paſſus,præci-
ıiti lapſu in deterius vergat.

Deterrimima conditio corporis eſt fri-
ida & ſicca : cum enim vitæ ſalus & propa-
ıatio, fulciatur calido & humido, quis ma-
;noperè extollere niteretur intemperiem, q̄
alorem de gradu ſuo dejicit,quæ valetudinis
ıræſidia proſternit; q̄ vitæ fomenta conculcat,

 ac

ac opprimit: quod partim ſpontaneo naturæ ductu, partim conditione morbi, partim ingraveſcente ætate, annorumq; decurſu contingit. Ubi inſuper calor ſuccū, quo ſubſiſtit, genuinum vel ſucceſſivo, vel violento ſubitaneoque motu imminuerit, tunc ſibimetipſi, univerſoque corpori occaſionem totalis exitii ſuppeditat.

Cum itaque corpora mutationi ſint obnoxia, neceſſariò indigent regimine, iſti mutationi congruo, quod eorum corruptionem prohibeat, eaque in juſta ſalubriq; temperie uſque ad naturalis defectionis horam cuſtodiat.

Brevioris quoq; ſunt vitæ, qui obeſi ſunt κατ' φύσιν, h.e. à prima conformatione, cum ſint frigidioris naturæ, quæ frigidi qualitas inimica eſt vitæ: paucus igitur ac infirmus eorum calor nativus, torpidique ſpiritus exiſtunt: taceo quod plus phlegmatis craſſi ac lenti colligant, quod deinceps obſtructionum materia & multorum malorum ſit autor, quæ vitam peſſundant.

Præterea cum vis & natura, quæ parentū ſemini ineſt, in natos diffundatur ac transvaſetur, non rarò contingit, ut, quæ vit a parentum parti offenſæ inhæſerint, atque inſederint, eadem in prolem deriventur. Hinc

qui

ui elephanthiaſi, epilepsiâ, podagrâ, chir-
grâ, calculo, morbisque aliis hæreditariis
onflictantur, vitiis quoque ſimilibus ſuos
on rarò imbuunt, unde calor innatus ma-
mè diſſipatur, atque infringitur. Verùm
on tantùm in una aliqua particula, ſed ſæpè
conformatione totius, labes inſignis offen-
itur, nec non infirmitas caloris, in quo vita
nſiſtit, per traducem communicata, quæ evi-
ens macula valetudini obtruſa, vitam lon-
rvam vix concedit, niſi præſertim ſingularis
tentio in diætâ & pharmacorum ſelectione
ceſſerit, & à teneris educatio exquiſita, tàm
oribus, quàm ſanitati congrua. Nam per-
revem liberorũ vitam ſæpè parentum plus
uàm ſupina negligentia, & ἀϛοϱγὸς incuria
auſatur.

Sexum quod attinet, cùm ex ſemine ma-
is cocto naſcatur maſculus, calidior certè,
idcircò longævior erit, quàm fœmina. Ma-
ulum fœmellâ calidiorem eſſe, inde proba-
ur, quia mares ut plurimùm ſunt robuſtio-
es, nigriores, ferè bilioſiores, venasq; magis
rominentes habent: immò in ipſis pilorum
opia caliditatis evidens eſt indicium.

Quod ſi mares breviorem vitæ curſum
bſolvere, quàm fœminas contingat, tunc il-
os, laboribus deditos ac negocioſos, hoc eſt,

animi & corporis contentione fatigatos, & tàm curis, ac moleſtiis, cæteriſque mentis operationibus occupatos, quàm corporis exercitiis ſeverioribus incumbentes per accidens maturiùs interire experimur.

Ratio namque convincit, viros per ſe, cauſiſque evidentibus, quas tamen declinare poterant, non enervatos, longæviores eſſe, q̃ fœminas. Obiter itaque refutandi ſunt illi, qui ex copia ſanguinis, quo fœminæ adeo abundant, ut per menſtrua ejuſdem vacuatio ſuccedat, mulieres viris tùm calidiores, tùm vivaciores eſſe conantur evincere: cum ob frigiditatem & impotentiam concoquendi ſanguinem eruptio menſium ſequatur, quò lunari periodo prodiens excrementitius humor reſiduam partem ſanguinis, nutritioni idoneam, eamque ſynceram poſt ſe relinquat.

CAPUT XIX.

De cuſtodia ſanitatis, deq; cauſis primariis prolongantibus vitam.

CUm in tuenda ſanitate & vitâ totius negocii cardo verſetur, ſciendum, duplicē eſſe ſanitatem, una eſt καθ' ἕξιν, altera κτ' σχέσιν. Illa dicitur firma conſtansque ſanitas, iterumque ſubdividitur in mediocrem & in perfectam:

tam, quæ ſola appellatur εὐεξία, firma con-
utio corporis, & verſatur in optima parti-
& humorum εὐκρασία & organorum συμμε-
. Huic opponitur καχεξία, quæ eſt depra-
io partium ſolidarum, quæ alimentum ſu-
corrumpunt, ideò comitem habet caco-
ymiam vel atrophiam.

Porrò εὐεξία duplex eſt, una vera, ἁπλῶς
dicta, quæ eſt τέλεια, & παντελὴς ὑγίεια, ſeu
ελειότης τῆς ὑγιεινῆς ἕξεως, abſolutiſsima ſani-
, in qua eſt partium εὐκρασία, εὐχυμία, ſan-
inis totiusq; molis corporeæ συμμετρία. Hæc
amſi ad extremum bonitatis progrediatur,
n tamen vitioſa, vel periculoſa eſt, imò quò
agis in gradu excellit, eò eſt præſtantior, ac
tior, & ad producendam vitam accommo-
tior; ſicut enim virtus, eximia & præclara-
num beatumque virum reddit, ita ſanitas
cellens hominem ſaluberrimum. Altera eſt
ξία μετὰ προσθήκης, athletica appellata: nam
dio acquiritur, morbiſque graviſsimis eſt
poſita, & quò plus creſcit, eò eſt periculoſi-
: in hac eſt πολυσαρκία, πολυαιμία, omniumq;
corum αὐξητρία.

Hinc Hipp. 1. aph. 3. ſic ait: Athletarum
bitus corporis ad ſummum plenitudinis
adum perducti, periculoſi ſunt, αἱ ἐπ' ἄκρον
ξιαι σφαλεραί.

Quando enim omnia vaſa ſanguine referta ſunt, carne adipeq́; oppleta, tunc ceſſante nutritione, naturales facultates cum ſummo vitæ periculo opprimuntur, ſpiritibusque vitalibus, quos in perpetuo motu eſſe neceſſe eſt, liber tranſitus ac refluxus intercluditur, calore nativo vel ſanguinis copiâ ſuffocato, vel magnis vaſis effractis.

Cum verò hominum corpora jugiter alterentur, nec in unâ permaneant qualitate, ne tàm citò ad corruptionem ferantur, ſummâ ope niti decet; res igitur iſtas, quæ proſunt, vel obſunt, accuratè perpendemus, quæ vel ex neceſſitate, vel præter neceſſitatem minantur interitum.

Neceſſaria corruptio vel intrinſecus accidit, vel extrinſecus: intus quidem, cum abſumto ac diſsipato, quod calorem fovebat, humido, relinquitur ſiccitas, eodem modo, quo animalia cætera & plantæ ad marcorem, & ariditatem, tandemque ad finem, mortemque tendunt. Hinc fit, ut abſente humido, tanquam pabulo, calor quoq; evaneſcat, qui magis magisq́; ex ſuperfluitatibus, è cibo & potu emergentibus, deſtruitur: addo quod ab ambiente extrinſecus offendente corruptionem non minorem incurrant.

Corruptio non neceſſaria fit à rebus, forinſecus

ecus perniciem inferentibus, modò ca-
:iendo,modò infrigidando: vel deſiccan-
vel humectando. Opus igitur eſt regi-
e, quod ſanitatem illæſam uſque ad natu-
defectionis horam conſervet, quantum
ianâ induſtriâ obtineri poteſt, cum im-
ibile ſit, omnem hominem ob varias ad-
intes cauſas, ad extremam uſque ſene-
:m cuſtodire. Sed quamvis quædam ſit
:iens ab ea, quæ eſt in extremitate, po-
:amen ita moderari hic defectus, ne acti-
ius edendis enorme damnum attrahat.
verò ab ipſa corporum natura movetur
ctus, arceri non poteſt, niſi ejusmodi ac-
t regimen, quo cauſæ nocentes ac cor-
pentes non neceſſariæ caveri poſſunt, ita
lem, ne fiat corruptio ante finem natu-
n ac conſtitutum.

Hinc Galenus in definit. med ſanitatem
iit,humorum primorum, qui ſecundùm
ram in nobis ſunt, probam temperiem:
aturalium virium actionem non impe-
n, vel commodam quatuor elemento-
temperaturam. Et libro 6. de ſanitate
ıda inquit: ſanos eſſe dicunt, qui nec
e aliqua corporis dolent, & ad vitæ
ia haud quaquam ſunt impediti: Pari
o & corporis ſtatu illæſo eſſe, cum neque

ab externis occaſionibus facilè in morbos incidunt, nec ab internis.

Cæterùm permagna eſt ſanitatis latitudo, nec ea nobis omnibus æqualiter prorsùs ineſt: optimum quoque temperamentum, ſi cui unquam optimâ naturâ prædito contigit, certè ne momento quidem duravit.

Quare virum prudentem id ſecum reputare oportet, quod res pretioſiſſima ſit ſanitas, ac proinde ſcire, ut ex ſuo ipſius conſilio in morbis utilitatem percipiat: immò cùm ſanitas maximè divinum longæq; blandiſſimum ſit vitæ condimentum, omni ſanè curâ cuſtodienda erit. Si n. corpus noſtrum impatibile, omniſque affectionis expers eſſet, ſicut Adamas, aut ferrum, aut quidvis id genus, minimè artem ullam requireret, quæ ei tuendo præſideret.

Sanitas verò, quæ ſit in ſummo gradu, nequit inveniri, ſed quæ ab illa deficit, ita tamen, ut hic defectus actionibus non noceat, quæ tamen & ipſa progreſſu temporis deficit: vel levi aliqua de cauſa concuſſa in deteriorem ſtatum vergit. At quæ corpora ab illa exquiſita ſanitate recedunt, latè, ut ante dictum eſt, patent, hinc via, quæ ad ſanitatis cuſtodiam ducit, varia exiſtit.

Cæte-

æterùm cuſtodia ſanitatis corporum no-
ım bifariam dividitur : eſt enim com-
s vel propria. Commune regimen eſt
ıod eſt corporum ſecundùm communes
s, quibus participant ſanitas & infirmi-
Propria verò bipartita eſt: una eſt cor-
n, quæ ſunt temperatæ complexionis,
ıalis perfectæq; quoad ejus fieri poteſt,
oſitionis: ejusmodi namque corpora in
bili ſuo ſtatu uſque ad interitum natu-
conſervanda ſunt, prudenterque cuſto-
a. Altera verò eſt corporum in r..miſſo
eriei ſtatu collocatorum, quorum cuſto-
ıjorem ſolertiam requirit, ac circum-
onem non vulgarem.
'lurima ſunt ejusmodi inter homines
ipia, quæ nullam ſuorum corporum ra-
n ſuſcipiunt: hinc non tantum leviuſcu-
l etiã acutiſſimos dolores contemnunt,
s quam Stoicâ contumacia, non aliqua
: ſufferunt, tantos certè cruciatus uni-
ue altero groſſo non commutant, ſed
er obdurant, dummodò ſumtibus ero-
s parcant. Abjectiſsima iſta & ſordida
ɔondera, lucri gratia, ſi poſſibile eſſet,
m. quoque dolores lubenter porta-

Sed

Sed ad rem : eorum quæ vitæ diuturnitati vel proſunt, vel officiunt, alia ſunt naturalia & quaſi congenita, ut caliditatis aut humiditatis copia, vel inopia, quæ accepta ferenda eſt naturæ, ſeu ipſi temperamento.

Alia extra naturam & temperamentum rei viventis ſunt poſita, & in cuſtodiendo tamen, alterandóve temperamento & ſalubritate tuendâ pervertendâve cumprimis valent. Hæc à Medicis res non naturales appellantur, quarum uſurpatio omninò neceſſaria eſt : ſed ut congrua earundem applicatio & uſus naturam, adeoque ipſam vitam diu ſervat incolumem : ita eædem, minus commodè adminiſtratæ, ipſi naturæ inimicæ ſunt, vitamque peſſundant, & de ſalubritate multum detrahunt.

Rhaſis in Almanſore quarta parte inquit:ſanitatem conſervare eſt in motu & quiete, in cibo & potu nec non in ſuperfluitatum expulſionibus menſuram obſervare, domos & loca cœtera, in quibus manendum, temperare : malis etiam accidentibus, antequam augmentum capiant, obviare : animales quoque cogitationes refrenare conſvetudinesque (bonas) conſervare.

Sed antequam fuſiùs ac ſpecialiùs de rebus non naturalibus ordine pertractem, generalia

lia quædam præmittere viſum eſt de iis
is, quæ maximè ad vitam prorogandam
ducunt, in quibus primum ſibi vendicat
m temperantia in cibo & potu: ſecun-
fomenta & ſubſidia caloris nativi: terti-
claſſem ſibi aſſignabunt purgationes cer-
emporibus inſtitutæ: quartam denique
m occupabunt roborantia, tùm quæ ex
u ſalubri, tum q̃ ex pharmacorum prom-
rio promant. In præſentia nudam tan-
nmodò ſuccinctamque διάσκεψιν de iſtis in-
aum: Qualia verò illa ſint, & quæ pru-
ntem virum adhibere deceat, ea practicæ
rti hujus libelli reſervabuntur.

CAPUT XX.

De Temperantia.

AD conſervandam, prorogandamque vi-
tam nihil utilius magisq; neceſſarium
mperantiâ ac ſobrietate. Ideóque quivis
nitatis ſuæ ſtudioſus ſibi ob oculos ponat
uotidiè: Ne quid nimis, & : Ne quid minus;
ovi n. Medicos & quoſdam alios, qui nimis
emperanter vivunt, & ita ſanguinem, nec
on reliqua vitæ præſidia deſiccant, genium
imis defraudant, tandemque morbos mor-

temq;

temq; præmaturam ex omnimoda abſtinentia, quæ reprehenſionem ſimiliter incurrit, ſibi accerſunt. Quapropter medio tutiſſimus ibis, medium tenuêre beati. Inter hæc dicta ſalubris ſuavisque vitæ nutrix floret temperantia, omnibus ſuis alumnis decora, jucunda, fructuoſa, non ſanitatis modò, ſed vitæ ipſius (vera enim vita eſt benè valere) altrix veriſſima: ἐστὶ γὰρ σωφροσύνη πάντων τῶν καλῶν χορηγὸς, id eſt, ſobria victus ratio bonorum omnium diſpenſatrix eſt. Nam legitimè inſtituta alimentorum moderatio caloris nativi, ſpirituum, humorum, functionum omnium incolumitatem firmat, reficit, recreat, & quicquid naturæ alienum, violentumque occurrere poteſt, propulſat.

Hinc Ariſtoteles lib. 2. cap. 2. Ethicor. id ipſum quoque confirmat, cum aît: τὰ πολλὰ καὶ τὰ σιτία πλείω καὶ ἐλάττω γινόμενα φθείρει τὴν ὑγίειαν, τὰ δὲ σύμμετρα καὶ ποιεῖ, καὶ αὔξει, καὶ σώζει, potulenta & eſculenta copioſiora ac pauciora valetudinem lædunt ac perdunt: moderata verò afficiunt, augent ac tuentur.

Hanc mediocritatem in cibo & potu quàm plurimi adeò negligunt, ut Philippus ſæpè dixerit: Wir Deudſchen freſſen vns arm/ vnd franck/ vnd in die Hell: Nos Germani gulæ

&

ebrietati addicti noſtris pecuniis, corpo-
us & animabus perniciem afferimus.

Quod enim in plantis accidit, idem in
poribus humanis contingit: τὰ γὰρ φυτὰ
μὲν μετρίοις ὕδασι τρέφεται τοῖς δὲ πολλοῖς πνίγε-
, plantæ modicis aquis aluntur, immodi-
ſuffocantur. Hinc Hippocrates etiam
ceptum de Temperantia ſæpiùs inculcat,
rimis verò lib. 2. aphoriſm. 4. οὐ πλησμονὴ, οὐ
, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως
d eſt, non fames, nec aliud quicquam bo-
n eſt, quod naturæ modum exceſſerit: ſi-
dem ſanitas eſt quædam ſymmetria.

Quæ itaque ſunt ἀσύμμετρα, vel τὰ τοῦ μέ-
μᾶλλον γινόμενα, morbos pariunt, at morbi
rtem, vel certè immaturam ſenectutem
ehunt: Sic etiam fames ventriculũ pravis
let humoribus, vires exhaurit, humidum
radicale ſiccando depopulatur.

Eandem ſententiam venerandus ſe-
alibi quoque confirmat aph. 20. ſect. 4.
dem. 6. cum inquit: ἄσκησις ὑγιείης ἀκορίη
ῆς, exercitium fulcrumque ſanitatis eſt,
ſatiari cibis:

O felicem

O felicem ter & amplius in temperantia ſatum, educatum, continenter eidem mancipatum, nullis unquam animi corporisque dotibus vacuum.

Huic oppſita immoderatio ſeu ingluvies varia affectuum importat monſtra, rapaces bonorum animique Harpyias, ipſique vitæ peſtiferas ingerit Furias. Quamobrem homo ante lapſum in ſua temperie perfectiſsimus, à mandatis divinis recedens, receſsit etiam ab integritate ſanitatis, omuiumque animalium factus eſt miſerrimus, cum longè pluribus & gravioribns, quàm reliquæ creaturæ omnes, ægritudinibus ſit expoſitus. Utq; anteceſsores noſtri vixerunt temperantiores, ita & ſalubriores, & loogæviores: delicias namque hodiernas, luxumque reſpuerunt ac deteſtati ſunt: novum nunc luxuriæ genus excogitatur, quid mirum, ſi nova morborum ſoboles ac ſeges repullulet?

Scitum eſt illud Cornelii Celſi: ubi ad cibum ventum eſt, nunquam utilis nimia ſacietas, ſæpè inutilis nimia abſtinentia, neq; ex ſacietate fames, nec ex fame ſacietas & immodica ingurgitatio idonea. Inconſultè faciunt ii, qui poſt pridiana ſympoſia ſe immodicâ macerant inediâ; reprehenſionem quoque merentur illi, qui à jejunio atque ab antecedentis

tecedentiſ diei inedeiâ affluentiùs,quàm par eſt, cibo potuque ſe onerant,adeò, ut niſi relaxentur, diſrumpi videantur.

Liberaliùs nonnunquam prandere, vel largiùs aliquantò cœnare, & cum æqualibus tempeſtivis conviviis ad diſcutiendum mœrorem ſe reficere, nihil habet vitii, modò omnia intra mediocritatis limites conſiſtant: qui namque in frugalitate nimius eſt, is non tantùm, quod antea monui, extenuatum, exhauſtumque ſpiritibus corpus circumfert, ſed & ab omni prorsùs ſodalitate, ab omniq; conſuetudine civili ſeipſum excludit, qui affectus à philomuſis virisque politicis alieniſſimi eſſe debebant.

Verum quicquid ſit, maximam tamen hominum partem ad τὸ ἄγαν deſciſcere, manifeſtum eſt. Utque ad defectum alimentorum vergens receſſus hac ratione noxius eſt, dum, quod cauſarum internarum externarumque vi abſorptum, diſſipatumque eſt, præparca reſtauratione, ac refectione non ſufficiente, humidum primigenium, utpote caloris nativi pabulum, defluere, inevitabilemque partium ſolidarum ſiccitatem, mortemque ante terminum præſtitutum, accelerari neceſſe eſt.

Sic nulla capitalior peſtis, quàm volu-

ptas & intemperantia hominibus imminet, nam ut taceam, quod illa ſit rationi inimica, mentisque perſtringat oculos, nec ullum habeat cum virtute commercium, certè rheumatiſmis variis, obſtructionibus, Plethoræ, Epilepſiæ, Apoplexiæ, febribus, innumerisque affectibus aliis occaſionem ſubminiſtrat: ut una intemperantia Medicorum ferè ſit nutrix unica: (& mea quoque eſt nutrix) Socrates frugalitate & ſobrietate ſua effecit, ut cum Athenas peſtis ſæpenumerò exagitaret, ipſe nunquam ægrotârit. Celſus inquit: quiete & abſtinentiâ multi curantur morbi. Sed de hac materia pluribus agetur in capite de cibo & potu.

CAPUT XXI.

In quo oſtenditur, ad longævitatem requiri externa caloris nativi fomenta.

IN diſciplina media vulgatum eſt illud: ſimilia ſimilibus conſervantur, nempe conſuetis, & in eodem gradu ſimilibus, & maximè nutrimentis, medicamentis, & quibuscunque ſubſidiis aliis: hæc namque calorem nativum cuſtodiunt, augent, ac tuentur.

De

De calore nativo ſuperiùs quædam ſcitu neceſſaria fuerunt propoſita, nunc de calore circumſtante, & forinſecus eidem ſuppetias, manusque auxiliatrices ferente, ut & de influenti calore pauca, diſquiſitione digna, nobis occurrunt, ex quibus facilè nos expediemus, ubi prius actiones ſeu affecta caloris breviter fuerint expoſita.

Calorem itaque quod attinet, hic inter cæteras qualitates facilè primas tenet, ideoq; à Galeno δραστικωτάτη τῶν ποιοτήτων dicitur: & Ariſtot 2. de part. 7. τῆς ψυχῆς ὑπηρετικώτατον τῶν σωμάτων τὸ θερμὸν nominat. Primaria adeoque propria caloris actio eſt calefacere, quam aliæ complures comitantur, cum ſcilicet calefaciendo funduntur ac liquantur ea, quæ à frigore fuerunt, compacta & concreta. Opus caloris eſſe τὸ διαχεῖν καὶ λύειν, ſatis experimur verno tempore, cùm acceſſu Solis ad noſtrum verticem ſpirantibus Favoniis, ſpiracula cutis laxantur, meatus in corpore aperiuntur, humores ſuperiori hyeme congeſti, quieti tamen atque immoti deliteſcentes, beneficio radiorum ſolarium appropinquantium, ſecretò liqueſcunt, ac commoventur.

L 2 Qua-

Quapropter τὸ διαχεῖν τε καὶ τήκειν, καὶ διαιρεῖν, καὶ τέμνειν τοῦ θερμοῦ ἴδιον eſſe Galenus atteſtatur: diſſolvit enim calor, quæ à frigore promiſcuè in unum collecta fuerunt, idq́ue facit liquando: facta ſiquidem fuſione ſeparantur à ſe invicē τὰ ἑτερογενῆ: quæ verò ejuſdem ſunt naturæ, ὁμογενῆ καὶ ὁμόφυλα, mox in unum confluunt.

Qua de cauſa calor dicitur unire ac congregare τὰ ὁμογενῆ, etſi revera ſit διακριτικὸς: nam Ariſtoteles 2. de Gen. ait: τὸ θερμὸν πέφυκε διακρίνειν, τὸ ψυχρὸν συνιστάναι. Idem tamen in lib. 3. de cœlo calori aſſcribit facultatem συγκριτικὴν, ꝙ ſanè rectiſsimè de calore nativo dici poteſt: huic etenim mixtorum unio ac generatio attribuitur, dum generat, uniendo ſimilia, eaq́ue à diſſimilibus disgregando.

Cæterùm ne in ſuis actionibus calor atteratur nimium, ac defatigatus decreſcat ſubitò, ſubſidia externa quærenda ſunt, quò & concoctiones feliciùs in corpore procurentur, & ſuperfluitates debito tempore ſegregentur. Quid calor non tentat diſcutiendo, rarefaciendo, atque emolliendo, quæ concretione aut impletione inducuntur, eademq́ue reddit fluxibilia? Poros meatusq́ue aperit calor, vimq́ue habet ἀναστομωτικὴν, ex altò trahens, & ad ſuperficiem evocans ſuperfluitates.

Nonnè

Nonnè caloris opus eſt, excrementorum defluxum promoveri? finita concoctione frigidam pituitam ex cerebro deturbari? ſudores totius corporis emunctorio tradi, inque cutaneam ſuperficiem tranſponi? urinas ac feces alvi non cunctanter provehi, ſed juſto tempore moveri, atq; excludi? nonnè caloris opus eſt, rejectis excrementis ſeipſum vegetiorem, alacrioremque reddi?

Ut autem calor in agendo efficaciſsimus eſt, ita ad reſiſtendum omnium maximè infirmus, atque εὐνεταβλητικὸς ideoq: adjumenta caloris, qui facultates ipſamque vitam ſuſtentare debet, quærenda ſunt.

Hinc quidam cum ad extremum uſque ſenium perveniſſet, interrogatus, cur, & quibus mediis adjutus tàm diu viveret, reſpondit: nihil crudi comedi, vitale ſemen conſervavi, me calidum tenui, & ita conſenui. Quid autem eſt, cruda non comedere, niſi delectū habere in cibo & potu, alimenta ἔυχυμα & ſalubria, quæ non multum negotii nativo calori faceſsunt, aſſumere, cruda verò, quæ nondum vim ignis paſſa ſunt, relinquere. Hoc quoque eſt cruda comedere, quando quis uno & eodem prandio vel cœna diſſimilium qualitatum cibos ingerit: aut qui ejuſdem qualitatis cibos quantumvis ſalubres in ma-

jore quantitate calori obtrudit, cum nulla proportio inter alimentum concoquendũ, interque calorem concoquentem atque aſſimilantem obſervetur, & ſic crudum ſuper indigeſtum accumuletur, omneſque coctiones in corpore minus dextrè procurentur, unde vitioſorum ſuccorum exuberantia, & plurium excrementorum, quæ naturali calori inimiciſſima ſunt, proventus emergit. Sed de his, ut & de ſeminis immodica profuſione, quæ ſimiliter calorem virtutemque vitalem peſſundat, & ante diem canitiem ac ſenectutem juventutis importat, alius nobis dicendi ſcopus eſt propoſitus.

Porrò calidum ſe tenere nihil aliud eſt, quàm calorem internum corporis fovere externis adminiculis, aêre nimirum calefacto, nec non cibo, magis ad caliditatem, quàm frigiditatem tendente, & pro re nata condito: potu verò non quidem actu tepido vel calido, attamen haud gelido quique ſit actu quidem frigidus, poteſtate verò calidus. Veſtimentis inſuper ad tegendum corpus ritè confectis, laneis ſcilicet, atque pelliceis ad cuſtodiendum calorem contra externas injurias frigoris, ventorumque impetum. Sed & calor nativus hominis fovetur, augeſcitque animalculorum, præcipuè verò infan-

tum

tum calore, ſi parti corporis invalidæ admoveantur.

Suavi enim calentiq́ue effluxu ſtomachi langueſcentis κακίαν corrigunt, atque evaneſcentem calorem in ſenibus exuſcitant, fotuq́ue continuo recreant.

Non poſſum non hîc perſtringere quorundam puerorum laſciviam, à parentibus tamen indultam, qui adhuc in flore teneraq́ue ætate conſtituti, denudatis ſæpè pedibus, manibus, capitibusq́ue, hinc inde diſcurrunt, ac teneriora membra frigoris inclementiæ, tùm temporis exponunt, cum etiam Feræ latibulis ſe tegunt: hinc fit, ut in adultiore ætate temeritatis ſuæ fructus decerpant, ſuccis vitioſis propter enervatum calorem undique adauctis, articulorumq́ue tenore ſoluto ac depravato. Adultiores etiam ſeu juvenes vegetos moneo, ne viribus ſuis nimium confidentes, minorem curam ſui corporis, contra frigoris aſperitatem muniendi, gerant, ne pœnas ſuæ negligentiæ in ætate declinante atque ingraveſcente ſolvere cogantur.

Ut autem mediocris uſus calidorum nos mulcet, fovet ac conſervat: ſic immoderatus

quidem robur virium, ipſaque vita in juſto ſolidarum partium temperamento, copiâq; ſanguinis & ſpirituum conſiſtit, in partibus quidem ſolidis, tanquam in radice: in ſpiritibus autem, ac ſanguine, tanquam in inſtrumento. Medicos quoque imperitos aut incautos diligenter hîc moneo, ut in exhibitione ſudoriferorum infectis propinandorẽ ſint circumſpecti, ne ægrotantes nimio ſudore exhauſti, & macerati perire cogantur.

Ex contraria parte frigidorum uſus immodicus noxâ non vocat, dum actionibus caloris adverſatur, evacuationem ſuperfluitatum ſupprimit, earum materiam reddendo craſſiorem atque immobiliorem in corpore humano.

Hinc Hippocrates inquit lib. 5. Aphoris. 24. frigida pectori ſunt inimica, thuſſes movent, ac deſtillationes excitant: inde ſiquidẽ partes ſpirituales mordentur, ipſiſque & faucibus inæqualitas ac intemperies attrahitur, quo fit, ut facultas expultrix, calorem habens opitulatorem ac moderatorem, adverſus frigoris moleſtiam inſurgat. Quot & quantis incommoditatib. catharri corpus obruant, qui à frigida intemperie originem trahunt, notiùs eſt, quàm ut multa probatione indigeat. Utque calidum ἀνύμμητον inter alia effecta

mordacitatis etiam cauſa eſt, erodendo ac diſgregando: ita frigidum quoque mordacitatis ſenſum exhibet in partes penetrans, eas contrahendo.

Nemo enim, opinor, non aliquando in ſe expertus eſt, quàm acerbo dolore articuli, ratione nervorum, qui exquiſitiſſimo ſenſu pollent, afficiantur, ubi intenſiori, ac penetrabili frigore rigeſcunt, refugiente ad partes interiores ſanguine, ita ut primò frigoris occurſu rubeſcant manus, mox frigeſcente ſanguine liveſcant & quaſi emoriantur, vitali ſpiritu deſtitutæ. Hæc incurrunt in ſenſum, qui vero frigoris exceſſus ſenſui non manifeſtè patent, iſti certè ſucceſſu temporis majorem noxam calori & viſceribus humanis affricant, intemperiemq; inveteratam ſeu hecticam, non aliter ac lanarum tinctura indelebilis apparet, membris inculcant, adeò, ut ejuſmodi noxa, temporis longinquitate diutius impreſſa, nullam, vel certè exiguam & leviuſculam vèl ſagaciſſimi Doctoris correctionem admittat. Quare utilium rerum obſervatio junioribus in ætatis flore ſit commendata, ſi modò jucundè ac molliter in ſenectute vitam tranſigere voluerint.

Inter alios magnoperè valetudinem ſuam

am lædunt & calorem infringunt ii, qui glaciem in ſcrobibus & fornicibus ſubterraneis recondunt,& uſque ad æſtatem jam adultam afferant, cujusmodi morem perverſum obſervant Auſtriaci, Styriaci, Bohemi atque Ungari, vinum, & aquam cum glacie miſcentes: an hæc confuſio conducat ſanitati, Seneca tibi aperiet lib. 15. Epiſtolarum, epiſt. 1. & unica, ubi ad Lucilium ſcribit: quid tu illam, æſtivam nivem, nonnè putas callum jecinoribus obducere? verum, ut ubique, alias, ita hac etiam in parte homines voluptuarii non tàm expendunt, quid ſanitatem adjuvet, quàm quid gulam, & corpus univerſum ad tempus oblectet. Quamobrem virtus apud Xenophontem parvam hanc concupiſcentiam volutati aſſignat, eique ut probrum objicit hæc verba: ut ſuaviter bibas, & pretioſa vina tibi compares,& æſtate circumcurſans nivem quæras. Omnes profectò teſtantur Medici, & experientia quotidiana idipſum comprobat, vinum ejuſmodi glaciatum, ut & reliqua potus genera gelidè propinata, non modò duritim jecoris efficere; ſed etiam capiti, cerebro, pulmonibus, pectori, ventriculo, nerviſque inſigne detrimentum accerſere, tuſſiem irritare, calculū incitare, & calori naturali non parùm detrahere.

Nam

Nam non mirum eſſet, ſi ejuſmodi voluptuoſi uno impetu univerſum corporis calorem, ſicut lapidibus ignitis affusâ aquâ contingit, prorsùs extinguerent.

CAPUT XXII.

In quo aſſeritur, purgationes excrementorum certis temporibus ſuſceptas permultum conferre ad longævitatem.

MAxima mortalium pars neglecto omni cultu, nec obſervata ſanitatis ratione, divitiis turpiter inhiat, cum tamen ſanitas ſit auro potior, nec ulla res animi tranquillitate optabilior. Qui igitur felicitatem non opum affluentiâ metiuntur, iſti prudentia ſua, operâque Medici imploratâ, multos morbos antevertunt, præſtabilius eſſe ducentes prævenire, quàm præveniri. Hinc etiam Galenus ſanos quidem adhuc, ſed niſi evacuati fuiſſent, ægrotaturos, prævenit, vel miſſo ſanguine, ſi multitudine: vel per purgationem, ſi humorum corruptelâ fuerunt affecti. Multis itaque pituitam, aliis amaram bilem, quibuſdam nigram, non paucis aquoſa excrementa, ad impendentis morbi eſſentiam facientia, expurgare

purgare conducit. Si ſolers quilibet artifex inſtrumenta ſua diligentiſſimè curat: penicillos pictor, malleos faber ærarius, lignarius ſecurim; ſi piſcator rete ſuum, ſi coquus ollas ſuas ab omni ſorditie mundat, & lavat: cur noſtra concoctionum inſtrumenta negligimus, homicidium hoc pacto in nobis ipſis committentes? Surgite vos cunctatores, accedite Medicum prudentem, qui veſtrum vobis temperamentum explicare, morboſque futuros prædicere, atque inhibere queat. Credat igitur ſanitatis ſuæ Studioſus, hanc vitæ fugacis celeritatem, excrementorum in nobis proventus plurimùm accelerare.

Cum enim ex aſſumtis alimentis multæ partes rebelles atque inutiles reſultent, quæ nec à facultate ſatis elaborari, multò minùs corpori aſſimilari poſſunt: ideoque illas, utpote ſupervacaneas, provida natura, ſi non impedita ſit earundem craſſitie, vel multitudine, ad certa quædam emunctoria & capacitates tranſponit; quæ niſi maturè expellantur, facilè ab iſtis, tanquam contrariis, vitæ curſus, alioquin ulterius extendendus, abrumpitur.

Nam & humidum radicale inde inquinatur, & impurius evadit, calor verò in ſuperfluitates

ſluitates commemoratas agens, non parùm deteritur. Quod ut prohibeatur, & excrementa in tempore vacuaſſe,& inſtrumenta à natura his excernendis, excludendisque deſtinata, libera munda atque aperta ſervâſſe, ſuisque muniis obeundis probè diſpoſita,minimeque obſtructionib. obnoxia, plurimùm certè præſtiterit. Nam, ut Ariſtoteles quoque teſtatur lib. de long. & brev. vita, adverſatur & corrumpit excrementi vis atque efficacia, alia quidem ipſam naturam, alia verò partem corporis aliquam interimit, cum morborum cauſa ſit excrementum,teſteAriſtot. ſect. 1. probl.prob. 22.

Cæterum, pro ratione colluviei collectæ, purgationes ſuſcipiendæ; ſi excrementum fellis exuberat, cholagoga conveniunt medicamenta,aliàs illud ipſum diutiùs aſſervatum putreſcit, pluribusque morbis anſam præbet, præſertim ictero, phrenitidi,pleuritidi, febribus malignis, dyſenteriæ, peſti. Abſtergenda igitur in tempore acris iſta ſuperfluitas, cum ejuſdem defectus longævitatem promittat, ut videre eſt in brutis nonnullis, quæ propterea longæva ſunt, ut Cervus, Camelus, Delphin, vide Ariſtot. lib. 2. de H. A. cap. 15. & lib. 4. de P. A. cap.2.

Utque

Utque bilioſum excrementum producit morbos breviores, ſed periculoſiores, ſect. 1. prob. problem. 6. ſic frigida excrementa lentè ac ſucceſſivè temperiem pervertendo, tandem naturam citiſsimè deſtruunt, ſæpiùsq; ſubitaneum atque inopinatum interitum adducunt.

Pituitoſum certè ac frigidum excrementum, quod in capite colligitur, ac ibidem ſæpè per aliquot annos deliteſcit, temperiem cerebri mutat, & officia ejus mirificè interturbat, quod ſæpiſsimè, ut in ſenibus, tantam progreſſu temporis malignitatem induit, ut vel in ventriculis cerebri perſiſtens, vel in pulmones confertim irruens, ſubitæ mortis periculum inferat: quod ne fiat, ſingulari opus eſt providentia.

Idem excrementum frigidum ſi decumbat ac detrudatur in ſtomachum, tunc hujus robur adeò diſſolvitur, ut neque deſiderium cibi, nec potus vigeat, neque illius concoctio ritè procuretur.

Quocirca permultùm purgationibus legitimis tribuendum eſt, ſiquidem horum virtute humores ſua qualitate moleſtantes vacuantur, vel naturâ vel arte extruſi: duplex enim eſt purgatio, ſpontanea & non ſpontanea.

Spontanea eſt, quæ à robore naturæ, ſua ſpontè

ſpontè noxios humores excludentis, peragitur: nam ſupremus Naturæ opifex non fruſtrà tot meatus ac vias expurgandis excrementis, proluendiſque alimenri reliquiis condidit, ne videlicet ex horum ſarcina, & colluvie intolerabili hominem obrui, atque emanantibus ab iis vaporibus, ſuffocari contingat. Sic caput per nares, aures, palatumque ſe emungit, & ſcreatu, ac ſternutamenta ſeſe exonerat. Sic fuliginoſa excrementa per cutem, Calvariæ circumtentam, ipſasque ſuturas, exhalant. Pectus & pulmo per vocalem arteriam tuſſi ac ſcreatibus, pituitam eliciunt. Stomachus vomitu, ac ructibus ſe levat. Inteſtina per alvum ſentinam collectam deturbant. Renes & veſica per meatus ductuſque urinarios lotium derivant. Corporis autem ſuperficies per cutem poroſam, innumeriſque foraminibus perviam, fuligines ac ſudoriferos halitus diſcutit.

Quæ omnia excrementa, ſi natura non movet, neque expellit ſua ſponte, & in ſufficiente quantitate, Medicus expellet per locos naturæ convenientes, διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων. Nam perpetuò naturæ motus, ac propenſio per oportunas vias noxia expellere conantis, animadvertendus ac imitandus: ſic enim

&

& facilis & tuta erit vacuatio: facilis quidem, cum naturam habeat opitulantem : tuta verò, quià loca ſunt conferentia & ſatis commoda. Hinc Hippocrates 6. Epidem. 2. expreſsè præcipit, eò revellendos eſſe pravos humores, quò decet, & viam his eſſe ſtruendam, ut ſingula eò repant.

Videat autem quivis, an purgationes à natura ſuſceptæ ſint ſufficientes, nec ne, poſſunt enim quædam ſegregari, ac ejici ſalutariter, nonnulla verò in corpore aſſervari: quoniam (quod probè notandum) multa excrementa, nobis non ſententibus, in nobis colliguntur, & paulatim ſuccreſcunt, donec ex improviſo tandem proſiliant, & vel morborum graviſsimorum, vel mortis cauſa fiant.

Ut igitur certior reddaris de ſanitate tua & mundicie corporis, ad minimum ſingulis ſemeſtribus purgationes artificiales tentandæ ſunt. Nemo certè eſt qui non aliquantò in Medicorum regulas impingat, qui non cruditatem ex craſſioribus cibis, aut immoderato victu coacervet: quem non aliquantò pocula diurnâ nocturnâque manu in gyrum ducenda vexant? Unde patet, firma corporis conſtitutione in lucem editos, ſi minus turbulentis evidentium cauſarum procellis

jactentur, vitam ad longiſſimum tempus poſſe protendere, talesque homines purgationibus Medicis minus indigere, quàm alii, quos infirmo corpuſculo natura concinnavit, qui quadruplicem quotannis deſiderant purgationem, vel etiam plures, prout à ſanitate deflectunt, & cacochymiæ magis obnoxii fiunt. Nam in mundo vivimus, & facilè in errores adducimur, nemoque, quisquis etiam bona ſua corporis jactet, ex omni parte beatus eſt: beatior tamen eſt ac vivacior, qui futuram tempeſtatem veluti è ſpecula cernens, quantum in ſe eſt, prudenter declinat & averſatur.

Poſtremò perſtringendi ſunt ii, qui etiamnum ſani ſingulis ferè ſeptimanis purgantibus utuntur medicamentis, ut nihil dicam de illis, qui nimiùm violentis corpus aſſuefaciunt, vitalem humorem unà cum excrementis præcipitantes, ac profundentes. Nam eorum, quæ quotidiè procreantur in corpore, excrementorum vacuatio minor eſt, quàm ut exigat purgantis medicamenti efficacitatẽ: licet non cujusvis ſit, corpus exercitiis acutis & laboribus ruſticis ac vehementioribus aſſuefacere, ut excrementa nonnulla ſic abſumerentur. Valdè igitur indigentibus, & ex longis temporum intervallis

vallis purgatio utilis eſt. Sunt & alia purgantia mitiora, quæ in locum catharticorum ſuccedere poſſunt, verbi gratia, lenitiva, quibus natura ſtimulata ſæpiùs integram ſaburram deponit, item ea, quæ urinam, ſudorem, & pituitam proliciunt, de quibus ſpeciatim in capite de excretione & retentione tradetur: jam generalia attigiſſe ſufficiat.

CAPUT XXIII.

In quo agitur, victum ſalubrem & roborantia medicamenta longævitati inſervire.

CUm corpora humana continuo fluori ac diſſipationi ſint expoſita, adeò, ut non modo per legitimas excretionum vias iis aliquid derogetur, ſed & ſingulis penè momentis, per inſenſibilem difflationem ac diſperſionem, tanta fiat inanitio, ut hominum corpora quantumvis ſalubria, diu ſupereſſe ac durare non poſſent, niſi alia ſubſtantia in locum deperditæ ſubſtitueretur, & convenienti victu ſuppleretur. Tàm diu enim calor ingenitus vitam tuetur, muniaq; ſua in inſtrumentalibus partibus exercet, quàm diu radicale humidum in ſingulis membris eundē ſuſtentat ac fovet.

Faciliverò negocio abſumeretur calor, ſubitoque inermis concideret,niſi pabulum, in quod ageret, eidem concederetur.Etiamſi verò defluvium illud nullius artificis induſtriâ ad integritatem reduci poſſit, cum influens materia nõ ſit paris nobilitatis ac præſtantiæ cum ea, quæ defluxit: tamen mediante calore, in aliquot coctionum officinis cognata pruori ſubſtantia ex aſſumtis, inſtar alicujus eſſentiæ extrahitur, cujus beneficio membra arida & exhauſta jucundè ac ſuaviter irrorantur, augentur, ac recreantur.

Cum igitur aſſumta in univerſam corporis molem ſint fundenda, certè in eandem non ſegniter, ſed efficaciſſimè agent, adeò, ut eò promtiùs, copioſiùs, fructuoſiùs per nutritionem ſanitati pabulum, fulcrumque ſuppeditetur, quò quid ſubſtantiæ univerſæ affinitate, corpori alendo familiarius exiſtit:& quantus hinc receſſus obtingit, tantùm ſanitatis copiis decedendo, ad vitioſorum affectuũ turmas lapſus appropinquat, & ſic corpus humanum de incolumitatis ſtatu dejicitur; quæ dejectio magna ex parte aſſumtorum debetur efficaciæ: hinc enim diſpoſita fiunt ſemina, & quicquid in nos contulerint cauſæ immutatrices, magnam aſ-

ſumtis

ſumtis partem ferent acceptam. Et quò majores ac frequentiores errores in diæta committuntur, eò graviùs tàm ſanitas, quàm vita periclitatur.

Unumquodque igitur alimentum, in ipſam corporis molem vertendum, quò familiarius, ac ſubſtantiæ ſimilitudine propenſius eſt, eò ad defluvium reparandum ac reponendum, adeoque ad vitæ ipſius tutelam videas accommodatius. Huc εὔχυμοι referuntur cibi, potusque, nulla qualitate diſpari moleſti, niſi affectus vitioſi contrariis ſint eximendi.

Negari quidem non poteſt, leves ac rariores errores interdum citra noxam à natura valida ſuſtineri poſſe: ſed & rursùs veriſſimum eſt, levia quandoq; errata tùm valetudini, tùm vitæ diſcrimina haud negligenda ingerere.

Cum autem ſæpiùs eveniat, ut propulſatis per debitam purgationem vitioſis humoribus, particulæ cuidam morbifica impreſſio inhæreat, quæ, niſi idoneis Prophylacticis ac roborantibus ſubveniamus, recidivam parit, malumque, quod recens extirpatum videbatur, recrudeſcere facit. Ideoque quævis pars malè diſpoſita ſpecificis ſuis munienda, ne prioris mali, quod brevita-

tem vitæ invehit, relapſus accidat.

Vulgatum eſt axioma medicum, quod optimum eſſe aſſerit, ſi alimentis medicamentum ſubſit. Unusquisque hac in parte Medicum aget, perpendendo, qui cibi & potus ſuo temperamento ſint convenientiores. Non enim tantummodò abſtinendum ab alimentis, humanæ naturæ in univerſum noxiis (qualia habentur plurima in iis, quæ beſtiis deſtinata ſunt, quibus veſcentes olim homines peſſimè habebant: propterea dicebat Hippocrates initio libelli de veteri medicina, ſanorum hominum diætam non fuiſſe inventam, ſi profuiſſet ipſis idem cibus & potus, qui equo aut bovi, cæterisve animãtib. conducit: neceſsitas igitur coëgit homines, alia edulia, quæ nunc in uſu ſunt, arte multa excogitare.) Sed par eſt, nos ulteriùs etiam ſolicitos eſſe de temperatis alimentis, quæ ſcilicet temperatis hominibus convenientiora ſunt: de frigidioribus, quæ calidioris: de calidioribus, quæ frigidioris: de ſiccioribus' quæ humidioris: & de humidioribus, quæ ſiccioris naturæ hominibus magis conducunt.

Differt enim corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento: & quod eſt amicum huic, alteri eſt inimicum.

Verùm

Verùm quantumvis nulla particula corporis enormi intemperie conflictaretur, ſed in vigore ſuo ad ſenectutem uſque perſiſteret; decreſcente tamen, inſtar herbarum defloreſcentium, calore, & marſceſcente, inſtar olei ad flam̃am evaneſcentis, humido ſuccreſcunt paulatim excrementitii ſucci: ideoq;, quoad ejus fieri poteſt, roborantibus ſuccurrendum.

Licet autem ſenectutis marcorem exolvere ſit impoſsibile, auxilium tamen ferre, ut quàm diutiſsimè extendatur, poſſibile. Et ſanè pars ea Medicinæ, quæ ſenectutis curã promittit, Gerocomica appellata, hoc ipſum præſtat, ſcopum habens, quem ipſa rei natura indicat, inſtare videlicet ac prohibere, quantum fieri poteſt, ne cordis corpus in tantum ſiccetur, ut ab actionibus deſiſtat. Hic enim profectò vitæ terminus eſt, operationis cordis quies.

Nam quàm diu hoc ſecundùm ſuam ipſius actionem movetur, impoſſibile eſt animal mori, ut egregiè diſſerit Galenus in lib. de maraſmo.

Tenendum & hoc eſt, ſenes, in ætatem decrepitam devolutos, diutiùs quidem

jejunos perſiſtere, nihilque fermè appetere, nec ad cibi aviditatem valdè incitari, ſed tamen eoſdem ſubinde refectionem alimentorum, paucorum quidem, unica vice exhibitorum, deſiderare. Ut n. flamma in lychnis copioſo affluentiq; oleo extinguitur: ita ſenilis calor affatim confertimq; ingeſtis cibis. Eodem pacto pharmacorum adminiculo, aquisque cordialibus intrò ſumtis ſenilis calor detritus reſarciendus ac inſtigandus, de quibus in altera parte hujus libelli dicetur. Utque decrepiti nutrimentorum pondere non fatigandi, nec epularum diverſitate nimia diſtrahendi ſunt: ſic aquis iſtis, vel aliis quibuſdam cordialibus per intervalla refocillandi, ne calor exilis ſuffocationem patiatur, planeque ſuccumbat.

CAP. XXIV.

CAPUT XXIV.

De rebus non naturalibus, quæ pro utendi ratione modò longævitatē, modò brevitatem vitæ pariunt.

PRiſci Medici, quò Studioſorum memoriæ conſulerent, univerſam Medicinam in tres ordines digeſſerunt; Primus ordo eſt earum rerum, quæ corporis noſtri eſſentiam compingunt, nec aliter, quàm ut partes totum aliquod, naturam hominis conſtituunt. Huc pertinent Elementa, temperamenta, humores, ſpiritus, partes ſimilares ac diſſimilares, operationes, & tandem potentiæ, ex quibus omnibus conſtruitur homo, in quo & eadem naturaliter inhærent.

Non autem ſatis eſt, Medicum ſcire, ex quibusnam humanum conſiſtat corpus, niſi & illa pernoverit, quæ ſic conſtitutum in ſuo ipſius ſtatu conſervare ſuapte natura poſſint: ideoque ad ſecundum ordinem rerum medicarum referuntur res non naturales, quæ quidem non ſunt de ſubſtantia hominis, nec eandem conſtituunt, ſed magna tamen neceſſitate corpus humanum alterare poſſunt, atque in eodem vel conſervando vel

peſſundando multum contribuere poſſunt. In tertio ordine ponuntur Res præter naturam, quæ humanæ naturæ in univerſum adverſantur, quam vel inſigniter lædunt, vel etiam prorsùs deſtruunt. Tales res ſunt cauſæ morbificæ, morbi & ſymptomata.

Res non naturales quod attinet, vocantur illæ προκαταρκτικαὶ προφάσεις, id eſt, cauſæ irritatrices, occaſiones evidentes, manifeſtæ, prægreſſæ, externæ; ſunt quidem & illæ in albo rerum naturalium locatæ, ſed tamen minus convenienter adhibitæ, præter naturam, adeoque inutiles fiunt: ſalubres contrà, ſanitatis conſervatrices exiſtunt, ſi admittuntur mediocri, & naturæ humanæ congruâ, tùm quantitate; tùm qualitate. Galenus hæc ſumma cauſarum genera in tres claſſes diſpeſcit, 1. in admovenda, προσφερόμενα, ſive ſumenda. 2. in facienda, ποιούμενα: 3. in educenda, κινούμενα. Subſumendorum ſeu forinſecùs admovendorum nomine continetur aër, cibus & potus, medicamenta tàm interna, quàm externa, unguenta, balnea, fomenta, Emplaſtra: hæc enim omnia vel ingrediuntur corpus, vel exteriùs applicantur. Per facienda intelliguntur ea, quæ vel motum corporis vel animi concernunt, ut ſunt: frictio, ambulatio, vectio, equi-

equitatio, & omnis denique motus: ſomnus quoque & vigilia, animi affectus, Venus. Educendorum titulo continetur quæcunque excrementorum vacuatio, ſive ea proveniat ex alvo, ſive ex veſica, ore, auribus, utero, naribus, hæmorrhoidibus, meatibusque cunctis, vel manifeſtis, vel inconſpicuis.

Cæterùm res non naturales, ſenario numero diremtæ, ſequuntur: 1. eſt aër ſeu ambiens. 2. Motus, quies, 3. ſomnus, vigilia. 4. Aſſumta: eſculenta, potulenta. 5. Excrementum, retentum. 6. affectus ſeu animi perturbationes.

Cauſæ hæ, neceſſitate publicâ agentes, ſubjecta corpora neceſſariò afficiunt, plus tamen, minusvè, pro ſubjecti aptitudine. Cum enim cauſæ nil agant per ſe, ſed patiens requirant, utique pro diverſa diſpoſitaque patientis affectione ſuas actiones intendent, ac dirigent: & cum ſubjecti patientis ſit diſponi & affici ab agente, eædem ſanè cauſæ eadem ratione fortiores, debilioresvè erunt cenſendæ. Quare graviter & eleganter Galenus de opt. ſecta ad Thraſybulum cap. 31. monet: cum ab externa cauſa pulſamur, minimè lædimur, niſi inteſtina quædam cauſa deliteſcat. Interna verò cauſa vix à naturali ſtatu decedit, niſi externæ impetu ſtimuletur.

Unde

Unde hoc concludimus, firma corporis conſtitutione in lucem editos, ſi minus turbulentis evidentium cauſarum procellis jactentur, vitam ac ſanitatem diutiſſimè poſſe protendere, eandem tamen ipſorum primordiorum contrarietate, ſiccitate invaleſcente, calore defatigato, humidoque exhauſto, tandem deficere, variisque modis labefactatam, inſtar vetuſti alicujus ædificii, corruere.

CAPUT XXV.

In quo docetur, mediocritatem in omnibus rebus, ad ſanitatem pertinentibus, adhibitam, procurare longævitatem.

HOc opus, hic labor eſt, obſervare τὸ μέτρον, quod eſt ἐν πᾶσιν ἄριστον, quod etiam divinus ſenex noſter inculcat lib. 2. aphor. 51. his verbis: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, omne nimiùm naturæ inimicum: ſiquidem exceſſus deſtruit τὴν συμμετρίαν Elementorum, in qua moderatione ſanitas conſiſtit, & in qua omnis animalis ſubſtantia naturaq; propria conſervatur. Hæ, ut & aliæ commonefactiones ſapientum complures, ad limites aureæ mediocritatis nos revocare debebant. Hinc etiam

etiam Ciceto lib. 2. officior. Mediocritatis regulam optimam eſſe monet: locum quoque habeat illud Terentianum, Andria actus 1. ſcena 1. NE QVID NIMIS: μηδὲν ἄγαν: quam ſententiam aliqui ſapientiſſimo Soloni, quidam Chiloni, nonnulli Siſipho, plerique Sodamo attribuunt, cujus ſymbolum fuerit: μηδὲν ἄγαν καιρῷ πάντα πρόσεστι καλά. Quod & ipſum approbatur & citatur à Platone, idque tabulis æneis ad fores templi Delphici literis aureis inſcriptum fuiſſe teſtatur tùm in Hiparcho fol. 234. tùm in Charmite fol. 247. tùm in Protagora fol. 295. ex cujus crebra citatione à Platone adducta conſtat, tàm Platonem, quà alios Sapientes impensè delectatos fuiſſe hac proverbiali ſententia: καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄγαν μετέρχῃ. quisque ſanitatis ac longævitatis Studioſus hunc verſiculum conclavi ſuo majuſculis literis aſſcribere debebat: ſiquidem nimia omnia nimium hominibus exhibent negocium, ut Plautus inquit in Pœnulo. Et Iſocrates ad Demonicum inquit: τὸ περὶ τὴν ἀρετὴν φιλοπονεῖν, καὶ σωφρόνως τὸν ἑαυτοῦ βίον οἰκονομεῖν, ἀεὶ τὰς τέρψεις εἰλικρινεῖς καὶ βεβαιοτέρας ἀποδίδωσι, virtutis ſtudium, & ſobrium vitæ inſtitutum, ſemper oblectationes ſinceras, atque etiam conſtantiores gignit.

Aurea hæc dicta, Philoſophorum clariſſimorum

morum autoritate nixa, ad auream mediocritatis normam, quæ μακροβιότητος cauſa & ſuſtentatrix ac veriſſima nutrix eſt, vel ipſius Crœſi divitiis non permutanda, nos incitabunt. Voluptates quidem in cibo & potu, ſomno, re venerea &c. intempeſtivæ immoderatæq; à pluribus inſtar Numinis adorantur, & pro ſummo bono judicantur: veruntamen in ſumum paulò poſt amarorem vertuntur, non ſecus ac mel, cujus uſum moderatum ſi quis transgrediatur, in guſtu amarum, corporiq; pernitioſum ſuccum convertitur: τὸ γὰρ μέλι γλυκὺ μὲν ἐστι τὴν αἴσθησιν, πικρὸν δὲ τὴν ἀνάδοσιν. Et quemadmodum Mel immoderatiùs ſumtum, nō tantùm bilis abundantiam gignit, ſed etiam vermibus in inteſtinis occaſionem præbet: ſic quoque nimius voluptatis rerumq; non naturalium exceſſus, non tantùm in acerbam moleſtiam deſinit, ſed & corpus maturiùs, quàm par eſt, putredini, ac vermibus objicit ac morti obnoxium reddit.

Πᾶν τὸ περισσὸν, ἄκαιρον. ὅθεν λόγος ἐστὶ παλαιὸς,
Ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.

id eſt:

Quod nimium, ingratum eſt: hinc vulgi dicitur ore,
Ipſius & mellis copia bilis erit.

Detur

Detur etiam locus ſapientiſſimi Epicteris apophthegmati, quod Stobæus ſermone 38. fol. 131. allegat: εἴ τις ὑπερβάλλοι τὸ μέτριον, τὰ ἐπιτερπέστατα ἀτερπέστατα γίγνοιτο: ſi quis excedat modum, quę ſuaviſsima ſunt, ingratiſsima fiunt.

Hæc unica mediocritas ac continentia, reliquarum virtutum quaſi condimentum quoddam eſt, hinc elucet ornatus vitæ, hæc virtus juxta Menandrum virtutis eſt domicilium, ſecundùm Platonem verò humanæ vitæ cuſtos, in Charmide: felicitatis ac beatitudinis comes. Xenophanes nihil in homine mali naſci poſſe dixit, qui temperantiam amplexus fuerit. Hic nullis vitiorum illecebris irretitur: hic parcè, continenter, ſeverè, ſobriè vitam agit, neque ullâ unquam luxuriâ diffluit, nec facilè in morbum incidit: ideoque rerum omnium moderatio bonæ valetudinis ac longævitatis mater exiſtit, & hoc nomine ſapientiſsimis viris ſemper amiciſſima fuit continentia.

Quantâ enim temperantiâ vixiſſe memorantur olim apud græcos Socrates, Plato, Xenocrates, aliique plurimi: apud Romanos Fabricius, Scipiones, Cicero, Cato. Poſtremò quilibet earum rerum moderationem, quæ vel prodeſſe, vel obeſſe ſolent, eò accuratiùs ſibi ob oculos ponet, ubi morbos ex

rerum

rerum non naturalium uſu minus dextro promanantes conſideraverit. Nam ut brevibus iſtos attingam, ex crapula certè atque ingluvie innumeri ferè affectus proſiliunt, Apoplexia, Hydrops, Phthyſis, Arthritis, podagra, ingentes cruciatus collici, dolores iliaci, febrium perplexitas, Calculus &c. Ex aëris immodica ſiccitate non correctâ, ut tempore æſtivo, exurgunt febres ardentes, Cholerica paſſio, fluxus dyſenterici, Colica bilioſa, phrenitis, maraſmus juventutis, per immodicam ſudoris ac humidi radicalis profuſionem inductus &c. Ex humidi aëris incremento derivantur catarrhi, tuſſes, articulorum dolores, raucedines, ſuppurationes pulmonum, dejecta ciborum appetentia, peſtis. Frigidi verò exceſſus frigidorum ſuccorum atque ægritudinum diuturniorum ſoboles eſt, tâm prædictarum, quàm aliarum complurium, doloris nempè ſtomachi, capitis, dentium, pedum.

Ex nimio verò motu proveniunt febres ardentes, peripneumonia, balſami radicalis conſumtio, imbecillitas totius corporis, eodem verò prorsùs intermiſſo, generantur obſtructiones, langueſcunt concoctiones, ſuccreſcunt vitioſi ſucci, ſuffocatur & quaſi ſepelitur calor nativus, vividusque corporis color defloreſcit. Nimiam

Nimiam porrò excretionem ſequuntur lipothymiæ, mors ſubita, irreparabilis virium jactura, caloris & ſpirituum immodica profuſio, cachexia. Diutina retentio contrà variis morborum generibus materiam ſubminiſtat, cordique cæteriſque viſceribus ſuffocationem minatur. Somnus ſuperfluus parit Lethargum, Epilepſiam, Stuporem ſenſuum, oblivionem: at vigiliæ excedentes introducunt melancholiam Hypochondriacam, totam corporis conſtitutionem temperatam in ſtatum ſicciorem devolvunt, quæ ſi ingraveſcant, Maniam generant, itemque cachexiam.

Quid dicam de affectibus inconſideratè adhibitis? quæ tantam morborum lernam ingerunt, ut melius ſit planè ſilentio iſtos præterire, quàm leviter duntaxat attingere: ſiquidem iracundia ſæpiùs Apoplexiam, mortemque inopinatam invexit, tùm hæmorrhagias periculoſas. Mœror animi ſuccum vitalem adeò ſiccat & abſumit, ut in tali affectu cor pyro contoſto ſimile fuerit exhibitum, quod viva corporum ſectio, ſeu Anatomia teſtatur. Amor illicitus, ac cynicus morbum gallicum, & membrorum putrefactionem vivo adhuc corpore exhibet: Sed de his plura inferius.

CAPUT XXVI.

Quomodo Aër in vita prolonganda vel abbrevianda Autor eſſe poſsit, & qualis aër maximè ſit eligendus.

Cum in rerum non naturalium numero primum locum ſibi vendicet aër, aliquot regulæ ſeu commonefactiones de hoc notandæ veniunt.

I.

QVemadmodum corpus noſtrum ex continui fluoris detrimento perpetuam reſolutionem patitur: ita quoq; perpetua reſtauratione, ne reſolutio iſta interitum præcipitem afferat, alterna quadam viciſſitudine interveniente, opus eſt: reſtauratio iſta ex macrocoſmo in microcoſmū transferenda eſt. Inter reliqua verò rerum externarum opera ſi quid eſt, quod citius ac vehementius agit in noſtra corpora, profectò id ipſum eſt Aër; ſi n. viæ ſpiritus intercipiantur, in breviſſima parte unius diei hominem perire neceſſe eſt,

cum

cum per tres, vel etiam plures dies à cibo & potu abſque periculo vitæ abſtinere poſſit.

II.

Aër ſingulis ac continuis momentis agit in noſtra corpora, die noctuque adhæreſcendo corporibus, foris incumbendo, illisque tùm per ſpiracula cutis innumera, tùm per apertos meatus ſeſe ꝓfundiùs inſinuando, & modò ſubſtantiâ, modò qualitate, ſpiritus, humores, ac membra ſolida mutando, afficiendo, temperando, idque ex quadripartita anni conſtitutione liquidò conſtat.

III.

Morborum autor & procreator eſt Aër, vel qualitatum immoderatione, vel ſubſtantiæ vitio, vel ſubita & inſolita mutatione. Hinc dicebat Hippocrates, mutationes temporum, ſeu tranſitiones aëris ad qualitates contrarias, potiſſimum morbos procreare, & in ipſis temporibus alternationes magnas vel frigoris vel caloris. Quæ verò ἐκ προσαγωγῆς, id eſt, paulatim fiunt, ſecuriſſimas eſſe. Aphoriſmus Hippocratis hic eſt lib. 3. Aphoriſm. 1. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος. Iſtæ mutationes aëris partim ſunt regulares, partim irregulares.

IV.

Regulares mutationes qualitatum aëris, quas quotannis novas juxta Solis aliorumque ſyderum conſtantes motus induit aliquoties, quasque ſingulæ regiones, ac diei partes ſibi peculiares ac proprias habent, præ cæteris externis morbos maximè procreant, potiſſimum in corporibus ad patiendum aptis, id eſt, quæ parùm firmis nituntur principiis, pravo utuntur victu, & cum illis ſocietatem, temperamentiq; ſimilitudinem habent. Validæ quoque & magnæ mutationes, quæ in ſtata quatuor anni tempora præter naturæ ordinem ſubitò incidunt, ita ut nihil participent de qualitate antecedente, vicinâ, eaq; præteritâ, ſimiliter excitant morbos, pro gradu vehementiæ, & pro natura relationis, quam mutatus aër ad ſtatum proximè tàm præcedentem, quàm ſubſequentem habet, & prout corpora ſubjecta ad patiendum ſunt idonea.

V.

Irregulares mutationes aëris, quæ in ſtata quatuor anni tempora, præter Naturæ ſalubriter conſtitutæ curſum, fortuitò & promiſcuè incidunt in alienam delabentes qualitatem, vel in propria qualitate exuperantes,

rantes, ſimiliter proferunt morbos, pro gradu repentinæ vehementiæ, & acceſſione qualitatis ſociæ; dum videlicet ſpiritus & humores nunc ad interiora, mox ad exterior concitantur, meatib. vel calore dilatatis, vel frigore repentino rursùs conſtrictis. Unde ex multiplici aëris impreſſione magni in humorib. motus, novis qualitatibus ſubindè inductis, ſubſequuntur: & quia ejusmodi inæqualis aër internas cauſas ſemper excitat, ſuámq; dyſcraſiam materiæ morbificæ communicat, aliter fieri ſanè non poteſt, quàm ut temperamentum diſſolvatur, inque ſimilem cauſæ alterantis trahatur habitum, ubi ſcintillæ ejuſmodi latentes foventur, & magis magisque excitantur, donec tandem graviſſimi morbi ſeſe prodant, ut in peſte videre eſt; in qua parte Medici ſagaces ac circumſpecti mecum conſentiunt.

VI.

Facilior tamen, crebrior ac gravior exiſtit illa impreſſio noxia in corpora, vitioſis, multisq; humoribus immerſa: habent enim cognationem & ſymbolum quoddam cum imprimente atque inſiliente aëris dyſcraſia. Hinc ubi ejuſmodi crudi ſucci exagitantur, aut funduntur, aut incenduntur, ac putreſcunt, aliovè quovis modo corrumpuntur,

N 3 ſtatim

ſtatim morbifica aliqua in his erumpit incurſio. Interdum tamen humores tacti non ſtatim percipiunt offenſionem, ſed aliquandiu deliteſcunt, donec erroribus in victu aſſociatis verus morbi inſultus provocetur, quemadmodum hoc lucis peſtiferæ diutiùs graſſantis exemplo pluribus à me demonſtrari poſſet. Lege conſilia mea Antipeſtifera.

VII.

Frigidus aer ſpirituum itinera arctat, eosq;torpefacit, genuinum corporis calorem minuit, Igneus aer incendit, adurit, febres concitat fluxus ſanguinis & alvi attenuando, parteſq; internas ſeparando, ac divellendo corrumpit. Humiditas exuberans multa importat incomoda, ſicutit & ſiccitas immodica humidū naturæ abſumit & tabefacit.

VIII.

Incurſus ventorum, qui quaſi fluctus ſunt ipſius aëris, qualitates corporum variè mutat, ac robur corporis enervat. Auſtrini flatus plurimùm caliginis vaporoſæ ſecum vehentes, aërem humiditatē ſua tepida madefaciunt, ac turbant, ſpiritus animales offuſcant, defluxionibus & catarrhis occaſionem præbent, calorem nativum debilitant, excrementorum difflationem cohibent.

Aer

IX.

Aer vel è cœlo vel terræ aquarumvè pravis exhalationibus inquinatus, aut flatibus, venenatos ſecum vapores vehentibus; infectus, humanis corporibus ſeſe inſinuat, malumq; conceptum ipſis obtrudit, unde Epidemii & peſtiferi ſæpè morbi progenerantur. Aërem namqne univerſi dormientes ac vigilantes ore, naribusque & arteriarum oſculis, in poros cutis deſinentibus, ad intima trahimus, qui attractus alterationibus variis membra ſolida, ſangvinem, ſpiritusque afficit, hunc quidem hominem citiùs, illum tardiùs alterat.

X.

Tempore peſtis, quæ aëre ſcilicet peſtilente circumvagante, exoritur, fugiendum ex impuro in ſalubriorem; nam fuga tunc homini libero præcuſtodia eſt tutiſſima ac præſentiſſima, ſicut Germani noſtri dicere conſueverunt: Weit darvon iſt gut vorn Schuß. Obſerventur tamen conditiones tres, ut nimirùm citò & procul, & in locum ſalubriorem, peſti non obnoxium, fugiamus, & tardè revertamur. Nam qui in tempore fugit, morbi ſemina fugit, Deo ac conſcientiâ non improbante, quæ fuga niſi concedatur, artificioſus aeris & medicamentorum apparatus conficiendus.

XI.

Optimus aër eſt, qui prorſus temperatus eſt, in quo nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec ſiccum abundat: item q; purus eſt, & perflatus libero ventorum tranſitu gaudens. Ejusmodi aër omni ætati ac complexioni conveniens eſt: hinc hominum domicilia, quæ hujusmodi aëri ſereno, puro, & malignis exhalationibus deſtituto, expoſita fuerint, plurimùm faciunt ad conſervationem vitæ: & qui vitam diu ſartam tectam, integramque ſanitatem tueri volunt, ejusmodi diverſoria ſtudiosè quærant.

XII.

Aër ex aſtrorum motibus varias mutationes ſubit, naturales quidem, vel regulares ob motum Solis ad puncta Ecliptica, & ad certas aliquas ſtellas fixas: mutationes verò temporum incidentes, & p̄cipuè irregulares maximè fiunt ab erraticis, q̄ mundū hunc inferiorem moderantur ac gubernant efficaciùs, cui & propiores ſunt. Nam variæ erraticarum ad fixas configurationes, earumque inter ſe συζυγίαι, magnæque ſuperiorum Planetarum conjunctiones multis modis tempora mutant, maximè quando ab eclipſi Solis aut aliis infauſtis aſpectibus exacuuntur:

Nec ſolùm efficiunt dyſcraſiam in aëre, ſed

ſed etiam abſque hac, ſuâ inter ſe permiſſione, cient exhalationes in aëre quibus homines qualitates ſibi inimicas attrahunt, morbisque vulgaribus, vel cauſæ ſaltem morbificæ, venenatam qualitatem aſpergunt,abſq; aëris dyſcraſia manifeſta. Quod ſi tamen hæc quoque acceſſerit, incrementum accipiet morbus Epidemius.

XIII.

Porrò ex varietate Regionum & locorum diverſo ſitu impreſſiones aër arripit. Sic in locis planis ac declivibus, verb. gr. in Urbe Chemnicenſi, peſtis per triennium quam Deus avertat, graſſari poteſt, in vicinia verò minimè.

Peſſimus eſt aër, & maximè exitialis, qui vitioſo halitu ſtagnorum, paludum,cloacarum magnarum, fimi, cadaverum ,aliisq; exhalationibus, vel in propinquo, vel è profundioribus terræ ſpecubus, inquinatur, & corrumpitur. Inſalubris quoque eſt aër craſſus, nubiloſus, pluvioſus, & qui in regionib. planis, ac in conclavibus immotus manet.

XIV.

Aër ſubterraneus, ut in cellariis, in locis aquoſis, ac declivibus, tàm ſanis nocet, quàm convaleſcentibus: in his quidem recidivat morbum, dum habet conſtitutionem

N 5 frigidam,

frigidam, conſtrictoriam, oppilativam. Ubi enim materia poſt morbum relicta nondum ſatis digeſta, nec intemperies iſta ſatis à natura fuerit diſcuſsa, atque evicta, tunc intercedente repentinâ mutatione aeris, nova fit pororum obſtructio, hinc ſubſequitur putredo, morbique reciprocatio. In iſtis verò, nimirùm ſanis, varia morborum ſemina, obſtructionum ſcilicet, defluxionum, febrium & aliorum, ex craſſo & immoto aere ſparguntur, unde vitæ termino non parùm derogatur.

XV.

Sanitatis ac vitæ cuſtodiam diligenter obſervaturi, moderatè ac lentè contrarias qualitates inducent; in humida verò & frigida temporis inæqualitate idoneis veſtibus corpus munient, ſemperq; in vincentis qualitatis oppoſitum ſeſe convertent.

XVI.

Subita mutatio aeris de contrario in contrarium periculoſa eſt: caveamus igitur, ne poſtquam in hypocauſtis æſtuavimus, mox frigori nos exponamus: aut cõtrà refrigerati, nos in vaporatia ferventia conferamus, ſed paulatim ad ignẽ prorsùs accedamus. Iſta ſiquidem inæqualis ac diſtans qualitatum cõmutatio ſæpè graves morbos exuſcitat, pſertim

tim

tim in rarioris ac tenerioris texturæ corporibus, aut quibus ſemina morborum ex prima conformatione inſculpta ſunt.

Sic qui diutiùs in carcere tenebricoſo detenti fuerunt, occæcantur, ſi protinùs lucidũ aerem intueantur. Si quis à vehementiſsimo frigore ſtatim ad ignem luculentum accedat, animam protinus efflare poteſt: nam per frigus & imminuitur, & intrò ſe colligit calor nativus, qui ſubitò ad proximè ambientem ignem ſe explicans diffunditur, & ita prorsùs, ut qui ſit exiguus & languidus, evaneſcere poteſt.

XVIII.

Ex aere conſueto in peregrinum, præſertim minùs ſalubrem, mutatio ſæpiùs morbos ac febres invehit. Hoc Studioſis tyronibus ſæpè contingit, qui in Academias ſtudiorum continuandorum gratiâ ablegantur: Hi enim, ſi corpore præſertim impuro & cacochymico in regiones diſtantiores ſe conferant, nec corpus purum, & à craſſis humoribus evacuatum apportent (ſiquidem ſæpiſſimè ſcabie & puſtulis exornati adventant) facilè febre tertianâ, vel ſimili morbo laborabunt: quod ne ipſis ſit metuendum, legitimâ purgatione corpus præſervandum, nec non conveniente diætâ cuſtodiendum.

Aer

XVIII.

Aër vernalis calidus & humidus, æſtivus calidus & ſiccus, Autumnalis frigidus & ſiccus: hyemalis frigidus & humidus exiſtit. Aër nocturus frigidiſſimus, matutinus ac veſpertinus frigidus, meridianus calidus.

XIX.

Lucidus nimis & calidus aër relaxat corpus, frigidus verò & obſcurus reſtringit. Temperatus oblectat, mulcet & conſervat naturam. Aeris claritas vitales diſſolvit ſpiritus, & convaleſcentia corpora rurſùs debilitat: ipſius verò obſcuritas ſpiritus congregat viſum quoque & languida membra roborat.

XX.

Aer temperatus temperato imprimis homini, frigidior calidiori, calidior frigidiori, ſiccior humidiori, humidior ſicciori hominis naturæ utilior eſt. Nam calidiores & ſicciores ab æſtivo & ferventi aeris ſtatu, ut & à conclavibus calidioribus offenduntur: humidiores verò frigidâ & hyemali conſtitutione læduntur. Semper itaque ad contraria renitendum, ne qualitates excedentes corroborentur, & vehementiores in noſtram perniciem evadant: itaque ad juſtam temperiem, in

em, in qua ſanitas & vita longa conſiſtit, reducantur, de quarum moderatione & correctione in altera parte, ubi de praxi agitur, prolixiùs docebitur.

XXI.

In diuturnis morbis terram mutare convenit, ut præcipit Hippocr. Epidem. 6. ſect. 5. ubi per metonymiam ſubjecti terram intelligit aerem. Et 2. aphoriſm. 45. pueros Epilepticos mutatione ætatis, locorum, & victus liberari ait. Nam permultum ad magnorum morborum ſublationem conferunt mutationes proportionales ætatis, locorum, victus Galenus 5. Methodi cap. 12. affirmat: ſe Rheumatiſmis continuis Romæ preſſos, hinc pulmonis ulcere correptos, ad loca editiora, ſicciori aere donata, ablegâſſe. Sicut n. aer qualitates hic noxias ac morboſas, ita ſalubriores alibi poteſt imprimere, & modò deſtructionis modò curationis vicem ſuſtinere.

CAP. XXVII.

CAPUT XXVII.

De Regionum diverſitate, quod ad diverſitatem vitæ plurimùm faciat.

TAnta cœli vis eſt, ut ſecundùm ipſius temperiem regiones & climata terræ ita diſponantur, ut incolæ in una regione feliciores, & magis ſani degant, quàm in altera. Hinc Ariſtot. inquit lib. de long. & br. vita: εἰσὶν ἄνθρωποι οἱ μὲν μακρόβιοι, οἱ δὲ βραχύβιοι, ἕτεροι καθ' ἑτέρους τόπους διεστῶτες. τὰ μὲν γὰρ ἐν τοῖς θερμοῖς, καὶ τῶν αὐτῶν δὲ τόπων οἰκούντων, διαφέρουσιν, id eſt, ſunt homines alii diuturnioris, alii brevioris vitæ, quatenus locorum diverſorum intervallis diſtant. Siquidem gentes calidarum regionum diutius, & quæ viciſſim gentes ſeu populi frigidas terræ plagas inhabitant, breviùs vivunt. Hoc evenit in calidis quidem locis, propter temperamenti ſiccitatem moderatam & caliditatem: ſicca verò minùs promtè corrũpuntur, aut putreſcunt. Et Hippocr. 3. aph. inquit: ſiccitates imbribus ſalubriores & minus mortiferas eſſe. Iam quæ tardè corrumpuntur, tardè etiam intereunt: nam mors eſt refrigeratio caloris nativi: hinc

vi: hinc in locis frigidis degentes, tanquam à frigido, quod eſt vitæ inimicum, citiùs corrumpuntur. Etiam in confeſſo eſt omnibus, loca editiora ac montoſa, utpote ventis expoſita, ſalubriora eſſe quàm declivia, utpote paludibus & fluminibus proxima: hinc in editiſſimis locis multi longævi homines reperiuntur, & naturæ locorum faciunt, ut in aliis degant ſalubres, in aliis pituitoſi, & quaſi redundantes, in aliis exiccati & aridi. Orthopnoicis, i. e. recta cervice ſpirantib. concluſus aër & circumſeptus, vel coactus, quantumvis in locis editioribus, inimicus eſt, cum ejuſmodi aër quaſi conglobatus, & condenſatus multos vapores ſibi incluſos foveat, unde pulmones, qui dilatatione opus habent, potius conſtringi neceſſe eſt. Loca verò ſublimiora, aëris perflatui obvia, cunctis, ægritudine aliqua pectoris conflictantibus, proſunt.

Sed & in plana regione purus aer inveniri poteſt, qui ſenibus, & lipothymiâ laborantibus, conducit, ut teſtatur Aetius lib. 3. cap. 27. Aer v. maritimus conveniet hydropicis, nervorũ affectibus, & dejectæ ſtomachi appetentiæ: cum ejuſmodi aer, ſalſugine tinctus, vim habeat conſumendi cruditates, ac frigidos humores, qui ſæpè ſtomachum de

officio ſuo dejiciunt, ejusque vim coctricem proſternunt, ac hydropi materiam præbent. Regiones petroſæ, duræ, aſperæ, ſalebroſæ ſunt ſuſpectæ: nam ambiens aer ob nimium frigus valdè inſidiatur vitæ, hominesque in talibus regionibus commorantes, efficit duros, ſylveſtres, contumaces, ac malè moratos, Muſis non faventes.

Loci quoq; metalliferi minus interdum proſunt, ob exhalationes venenatas, quæ aeri immixtæ foſſores metallicos ſæpè ſubitò perimunt, ac ſuffocant: ſæpè pulmonem tantoperè inficiunt, ipſumque ſanguinem, ut nonnulli ſenſim exareſcant, nonnulli peripneumoniâ, vel empyemate contabeſcant, ac tandem reſolutionem ſubſtantiæ pulmonum experiantur.

Præterea regiones, & loca obverſa ad Solis ortum manè excipiendum, ſalubriora judicantur, quàm ad ſeptentrionem vergentia: & quæcunque urbes, oppida vel domus ad anguſtias & fauces montium protenduntur, ubi frequentius Auſter inſpirat, inſaluberrimas eſſe, teſtatur Galenus lib. 2. de ſanit. tuenda.

Omnium regionum temperatiſſima cenſetur ea, quæ ſub Æquatore poſita, pari ab utroque polorum interſtitio diſtat. In regio-

regione Sumatra, vel Samotra, ut & in Urbe Ramea (aliiſReamen) regionis Arabiæ felicis, ad orientem ſitâ, paulò ſupra æquatorē circulum, narrant hiſtorici, temperatiſſimum eſſe cœlum, clementiſſimum aêrem, feraciſsimum ſolum, ubi homines quamplurimi annum centeſimum ſupra vigeſimum, vel etiam quadrageſimum attingant, vide Ludovic. Roman. lib. 6. navigat. ſuarum cap. 4. Et lib. 2. navigat. cap. 9. ſcribit: Cancietem auriferam regionem, ab Alphonſo Petro inventam, temperatiſſimam eſſe, ut in qua nec hyeme algeant homines, nec æſtate fervore urantur, affirmatque alius Autor Columbus cap. 110. ſuar. navigat. ibidem eſſe fidos, ſinceros, manſuetos, atque ſpectatæ probitatis homines: quæ omnia ſummam regionis iſtius temperiem indicant.

Teſtatur virorum fide dignorum experientiâ, ſub æquatore circulo multas civitates atque inſulas feraciſſimas offendi, & aliàs ſalubriter quidem incoli, niſi caloris exuperantiâ æſtuarent, hominesque calidiſsimis morbis obnoxias redderent.

Terram verò ad circulum hyemalem ſitam, quæ Parias dicitur, feraciſſimam eſſe, in qua annos centum ſupra quinquaginta fe-

O liciter

liciter vivant incolæ, quod acceptum referendum eſt ſiderum, & præſertim Solis cœlique benigno affluxui, qui aëri communicatur, unde temperamentum ſalubre conformatur, ac conſervatur.

Inde colligimus, regiones quaſdam ſalubritate ſuperare alias, incolisque pro ratione ſitus ac temperamenti, modò longiorem, modò breviorem vitam concedi.

Immò qui eandem regionem, eandemque civitatem incolunt, modò longioris eſſe, modò brevioris vitæ conſpiciuntur, propter loci caliditatem, vel frigiditatem humiditatem vel ſiccitatem.

Et ut accuratiùs rem expendamus, etiam domorum partes, q̃ ſeptentrioni occurrunt, ad ſenſum multò ſunt frigidiores aliis, quæ meridiem ſpectant. Quare commodæ habitationes ſunt ſeligendæ, & quæ Solem orientem excipiunt, ibi enim ut tenuior, ita ſalubrior aër, attrahitur.

Occidentis verò aëris faciem admittentes, ut & in declivioribus locis commorantes craſſiorem aërem, coguntur inſpirare, unde ſanguis & ſpiritus redduntur puriores, & balſamus quoq; vitalis puriori ac ſalubriori pabulo recreatur.

Cæterùm hoc quoque notandum eſt, non omni-

omnibus idem convenire cœlum, quod virtute, vel occulta influentia,per aërem transmiſsâ, nos afficere poteſt. Multi in regionibus quibuſdam ſemper ſunt valetudinarii: quod ſi locus iſte eſt in culpa, nec alia quædã ægritudinis cauſa ſubeſt, homoque mutatą regione ſalubriùs degit, meritò is accuſandus eſt. Legati ex Perſia in Germaniam ablegati, ſæpiſſimè majorem ſociorum ſuorum in itinere numerum perdiderunt, antequam ad Regem ſuum reverſi fuerint. Sic Germani noſtri in Perſiam ablegandi,ſimilẽ legationis ac ſocietatis jacturam patiuntur, adeò ut vix unus & alter cœlum mutatum abſque vitæ diſcrimine ferre, & ad regionem præſtitutã pervenire queat: vide, quantoperè aër alterare poſſit. Quotnam ex Gallia olim in novas inſulas Indiæ fuerint ablegati,& quotnam in regionem determinatam ſalvi & incolumes pervenerint, notum eſt ex hiſtoriâis,q̃ hac de re conſulendi ſunt.

Unde rursùs obſervandum, eos, qui à primis incunabilis iniqua temperie,partimq́; conformatione nõ admodùm firma ſunt donati, nón eſſe in exteras ac diſtantiſſimas regiones ablegandos: non enim citra vitę periculum inſignes iſtas mutationes cœli, nec nõ diverſitatem diætæ, cæterasq́; injurias ſæpiùs incidentes, tollerare poſſunt.

Licet enim ſuperſtites nonnulli regrediantur, multiplici tamen alteratione compages ipſorum corporea ſic diſtrahitur ac convellitur, ut per totam vitam alliſio iſta externarum injuriarum, fortiùs potiſſimùm impreſſarum, vix poſsit eradicari, unde limitibus anguſtioribus vitam circumſcribi neceſſe eſt.

Experimur etiam, in maximis expeditionibus & ſynodis, dum varii populi ſub uno cœlo conveniunt, variis morbis atq; Epidemiis ægritudinibus homines corripi: ideoque naturarum nonnullæ in his, vel illis locis, aut diætis, benè malevè ſe habent, ut teſtatur Hippocrat. lib. 3. Aphoriſm. 3. Itaque danda eſt opera, ut robur vigoremq; caloris nativi, in quo vita conſiſtit, conſervemus: is enim omnium actionum naturalium opifex cum ſit, integer manere nequit, niſi omnis qualitatum exceſſus prohibeatur, quia calor operâ juſti temperamenti ſemper utitur.

Monendi ſunt etiam profecturi in exteras regiones longè diſſidentes, ut pravos humores, ſi qui ſunt in corpore, prius evacuent, ne ab aêre peregrino, & motu corporis protruſi morbum excitent: corpus quoq; competenti veſtitu & roborantibus muniendum:

Nobis

Nobis verò Germanis hæc regula maximè obſervanda, qui raro abſque cruditatib. ob intemperantiam ſumus,& tamen in utroque exceſſu aëris, vel calido, vel frigido ſæpiſſimè graviter delinquimus. Hinc calidior aër, ut æſtate & conſtitutione cœli fervida,& in hypocauſtis plus juſto calefactis, crudos humores liquat & fundit, & alicui particulæ principi fluxum & ſuffocationem minatur: ſic per hyemem & in domo frigidiore, ſucci relinquuntur inepti, obſtructiones invaleſcunt, cauſæ morbificæ intenduntur atque exaſperantur. Immò ex craſſiori ac impuriori aëre obſtructiones novæ, licet antea nullæ adfuerint, gignuntur; non enim dici poteſt, quàm facilè ambiens in ſibi reſpondentem diſpoſitionem corpora trahat, ſuiſque tincturis eadem vel recreare, vel corrumpere nitatur, cum per aſperam arteriam ad pulmones & cor, & per palati auriumque foramina ad nares & cerebrum, tandemque per oſcula cutis, in circumferentia cutis exiſtentia, ſeſe inſinuet, ut hinc facilè conſtet, quantum conferat, aërem purum ac temperatum inſpirare.

CAPUT XXVIII.

De ventorum diverſitate, quæ ſimiliter diverſitatem vitæ in hominibus conſtituit.

NOn minor habenda ratio, in ſtabilienda ſanitate, ventorum, qui nihil ſunt aliud, quàm effluxus atque effuſio commoti aëris, vires atque alimenta concipientis ex terræ exhalatione & vaporibus. Ratio inquã, ac diligens cura gerenda eſt aëris liberi atq; aperti, cui ſubinde nos exponimus: tùm illius etiam, in quo conſtruimus, atq; erigimus ædes, oſtia, feneſtras, cœnacula, quò ſalubri aura nos amplexentur, ne gravibus atque inſalubribus halitibus offendant. Veteres, quoniam quatuor ſunt cœli regiones ac limites, totidem conſtituerunt ventorum primariorum diſcrimina, & in his præcipui ſunt Auſter & Aquilo Plato ventorum naturis plurimum tribuit, lib. 5. de Legibus, & difficiles ac protervos homines requiri inquit, ubi frequentes ſunt varietates ventorum & turbinũ: nam turbatis, per ventos impetuoſos humoribus, ac ſpiritibus, neceſſe eſt, turbationem quandam animis quoque accidere. Magna certè ventorum vis eſt, quæ variis ſubinde qualitatibus non ſolùm animos, ſed etiam

corpora

corpora imbuit, alterat ac immutat, nec dici poteſt, quàm his ipſis inimica ſit omnis inæqualis, celerque, ex contrariis in contraria, tranſitio, ac primarum qualitatum exuperantia: nam ſubitæ ventorum converſiones, ac inſtabiles impetus, humores exagitant, ſpiritus obſcurant, ac ſæpiùs venenatas qualitates ſecum vehentes, corporib. noſtris obtrudunt. Quas injurias ſi excludere atque avertere licuerit, minùs morbis quemq; tentari continget: immò ſalubribus ventis balſamus vitæ purior & firmior evadet.

Auſtri auditum hebetant: nam plurimum caliginis vaporoſæ ſecum vehunt. Caliginem quoq; viſui obducunt, caputq; gravant: ſiquidem humiditate ſua ſpiritus animales obnubilant & obfuſcant, calorē nativū debilitant, & excrementorum diſſolutionem cohibent, ac tempore peſtis magnoperè lædunt. Hinc Marcus Varro cum Corcyræ eſſet, in omnibusq; fermè ædibus ægroti decumberent, inducto feneſtris novis Aquilone atque obſtructis, quæ Auſtrum admitterent, comites ac familiam incolumes à dira lue vindicavit.

Boreales venti naturalem ſuam conſtitutionem ſervantes, nec aliis vaporoſis halitibus

 infecti,

infecti, ſiccum & frigidum aërem afflando, valetudinē confirmant, concoctiones promovent, nec multās ſuperfluitates acervari ſinūt. Verùm ſi vehementia & diuturnitate prævaluerint, tunc corpora ſicciora & frigidiora, alioquin ſana, in dyſcraſiam inæqualem, unde ſcaturigo morborum expectanda, transponunt, corpus exiccant, alvum aſtringunt, tuſſes ac dolores laterum producunt.

Ejuſmodi effectus ventorum diſſimiles partim ex ſitus ſui ratione adcardines horizontis & ad orientem Solem diſpoſitione fiunt: partim ratione terræ tractuum, per quos feruntur. Nam ratione ſitus ab oris ſeptentrionalibus promanantis, à quib. Sol remotior diſtat, frigidi ſunt ac ſicci: Contrà tepidi ac humeſcentes, qui ex plagis meridianis profluunt. Orientales calidi & ſicci ſunt, ob Solem orientem: occidentales, frigidi & humidi: etenim Sole in occaſum vergente, noctéque ſtatim ſuperveniente, non tanta fieri poteſt exiccatio.

Deinde ratione tractus terræ diverſas qualitates imbibunt venti, v. gr. terrâ exhalante qualitatem malignam, vel uliginoſam, ſimile quiddam à ventis arripitur.

Neque prætereundi ſunt venti locales vel topici, quos ſingula loca proprios habent

ex

ex prima Naturæ inſtitutione, & ex vicinitate montium, maris, fluminum, & ex diſſimili locorum evaporatione: hinc fit, ut unus ventus in uno loco ſit ſerenator, in alio fulminator, vel pluvialis.

Cum itaque varia incommoda ſanitati ac vitæ accerſant venti, niſi prorsùs averti potuerint, ob negocia, quæ ſemper domi delitеſcere vetant, corrigenda tamen ſic ſunt illa, ne notabile detrimentum nobis inculcare valeant.

CAPUT XXIX.

An & qualem ſidera vim habeant ad protendendam vel contrahendam vitam.

Cum ſidera quoque per aërem ſuas qualitates, modò noxias, modò benignas communicare credantur corporibus noſtris, pauca tantùm de ipſorum virtute in hæc inferiora propendente delibare lubet. Quod ut rectiùs percipiatur, diſtinctio terminorum vitæ præmittenda, cum nonnulli aſſeverare auſint, ſidera nullum jus habere, multò minus id exercere in hominis vitam. Triplices itaq; vitæ terminos ſtatuo 1. ſupranaturales: 2. accidentarios: 3. naturales. Vitę

termini ſupra naturam ſunt illi,qui nobis divinâ providentiâ ſunt conſtituti, quos Theologi nullo conſilio, nullavè arte tranſiliri poſſe cenſent: hinc Divus Gregorius ait: cuncta DEUS ſecutura præſciens, ante ſecula decrevit, qualiter per ſecula diſponantur, de qua re in exordio hujus libelli plura legantur. Alii termini ſunt accidentarii,qui ob inopinatos caſus,nullis præfinitis temporum ſpatiis incluſi, homini facilè poſſunt accidere, ut venena, cædes, incendia, naufragia. Tandem naturales quidam ſunt termini, qui pro cujusque vario temperamento, & pro vitæ firmis, infirmisvè principiis unicuique ſunt attributi, qui multis de cauſis abrumpi poſſunt, inter quas, de quorundam ſententia, non poſtremum locum ſidera tenere exiſtimatur.

Eſt autem diſſimilis ratio effectuum, quibus cœleſtia corpora, vel totam elementarem naturam univerſim,vel certos tractus, concluſaque in illis hominum corpora, afficiunt: non ſolùm excitatus primis qualitatibus, motu ſuo & lumine, ſed etiam his variè mixtis ac temperatis inter ſeſe, proportione aliàs commoda ac conveniente hominibus, aliàs adverſâ & noxiâ: vel etiam ſine evidentibus qualitatibus, latente, & nondum ſatis explo-

exploratâ ſympathiâ, percitis inde ac perculſis ſeu humoribus, ſeu principibus partibus: unde vitalis noſter ſpiritus modò benignam, modò malignam qualitatem captat.

Sidera certè agunt in corpora vel duriſſima, v. gr. metalla, quid ni etiam in hominum corpora agerent? Diverſos effectus eventusque tum ſequi experimur, ad diverſas & inſignes errantium ſiderum ſub octavo orbe, congreſsiones & configurationes, pro ut vel fauſtis ſe mutuò, felicibusq; complectuntur radiis, vel prout feriunt infeſtantque minacibus ac hoſtilibus, proque habitudine ad ſubjectas terras, cumque iiſdem familiaritate & congruentia.

Pro radiorum igitur vi ac varietate, qua ſe hiſce inferioribus ingerunt ac miſcent, & aliter atque aliter incidunt, tùm pro ratione radiorum concurrentium mutuò, vel hîc vel alibi, diverſas virtutes hominum corporib. in primo ſui ortu egreſſuque in hunc mundum, & deinceps, toto vitæ decurſu transmittunt.

Ortus naſcentium tanta vi & efficacia Luna moderatur, ut eodem poſitu, in ejusdem, vel oppoſiti ſigni puncto, quod tempore conceptus tenuit, abſolutos & maturos fœtus ad exitum comoveri, penè certò compertum ſit.

Indoctis

Indoctis quoque notiſsimum eſt, Solis circuitu, acceſſu, receſſuq; diurno & annuo, gratiſſimas & naturæ neceſſarias temporum vices, hyemis, veris, æſtatis, & autumni, dierum & noctium effici, variarique, pro ipſius ad terram habitudine, atque à punctis verticalibus diſtantiâ.

Commoveri ἐπιδήμια, λοιμικὰ, καὶ ὀλέθρια, eaque ſæva, Saturni per Leonem aut Aquarium decurſu, & exaſperari eadem, atque intendi Martis, aut adhærentis Saturni, vel ex adverſo objecti acceſſu: mitiora ſpargi contagia ejuſdem per Taurum aut Scorpium tranſitu.

Ut autem commodius deferatur emiſſa radiorum virtus, ne in tranſitu hebeſcat, vel evaneſcat, exertorum porrectorumque in terram, & reverberatu coactorum duplicatorumque radiorum ex ejuſmodi reſultu vis intenditur atque invaleſcit, noſtraq; temperamenta variâ projectione variè quoq; afficiuntur, & modò breviorem, modò longiorem vitam aſſequuntur.

Notum quoq; eſt, ſingulos Planetas ſingulis etiam virtutibus, vel naturalibus, vitalibus, vel animalibus præeſſe. Luna & Venus ſpiritui naturali ac genitali favent. Iuppiter iiſdem, nec non Epati & ſtomacho præeſt, virtutemque vitalem moderatur: unde Iovem

appel-

appellant vitam. Sol Spiritui vitali commodat, vel infauſto aſpectu incommodat. Mercurius cerebrum ac ſenſuum inſtrumenta reſpicit. Luna præſidet humoribus, quod fœminæ menſtruatæ norunt. Sic Saturnus certa ſidera pervagatus peſtilentiam affert, certis tamen locis. Si cuipiam naſcenti concurrant Mars & Venus, tunc τὸ ἡγεμονικὸν, id eſt, partem animi principem, ad percipiendam tractandamq; artem medicam, & artis opera dextrè exercenda inſtruunt. Sic cœterorum Planetarum, ſignorumque ſingula ſibi in partes humoresq; corporum ſua vendicarunt ac ſtabilierunt dominia, quæ recenſere ſupervacaneum duco.

Quæ omnia eò ſpectant, ut quiſquis proſperam ac diuturnā vitam deſiderans, inprimis cognoſcat ſidus ac genium ſuum, locumque ei convenientem: ad quam namq; regionem potiſsimùm inhabitandam & excolendam tuum ſidus te admonuerit, eandem tibi deligendam eſſe arbitreris.

Si quæ verò ex infauſtis aſpectibus pericula impendent, tuum eſt, arte & prudentiâ illa prævenire, imminentemque tempeſtatem, quantum in te eſt, declinare atq; avertere. Sed nulla tamen neceſsitas ſideribus imponenda, de qua relegendus eſt Ariſtot, lib:4.

lib. 4. de Gen. An. cap. ult ubi inquit: Natura ita ſibi vult, ut eorum numeris (ſeu siderib.) generationes & obitus numeret: ſed exquiſite id facere nequit, propter materiam indefinitam, & quod multa principia incidunt, quæ generationes deſtinatas ſecundùm naturam, & corruptiones ſæpè impediant, atque ita cauſa ſint earum, quæ veniant præter naturam. Mens Ariſtotelis eſt hæc: ſidera quidem, ſeu ipſorum curſus ac revolutiones, ut & lumen ipſorum virtutemque influentem, ortum atque interitum animantium (hominis præſertim) efficere, & ſidera meritò cauſis procreatricibus ac deſtructricibus annumerari: ſed non exactè, nec ad præfixum tempus illud fieri, cum & corpora, in quæ ſidera agunt, motu, influxu, ac lumine indefinita ſint, neque uniuſmodi omnia, cum alia ſint longioris, alia brevioris vitæ, & multa principia incidant, quæ generationes vel corruptione rerum intercipere, ac retardare queant, ne rigido ſiderum dominio ſubjecta eſſe cogantur.

CAP. XXX.

CAPUT XXX.

Perfectam concoctionem in corpore magnum ad vitam præſtare adjumentum: cruditatem verò eandem diminuere.

AUrea profectò hæc eſt regula, concoctionem cibi præ cæteris curare: nam ſalubribus uti, maximum quidem videtur eſſe præceptum, ea verò nihil proderunt, niſi coquas Et cum ex quovis nimio calor nativus obruatur, ex ſalubribus non ritè per coctionem elaboratis atque evictis, ſimili ratione cruda membris influunt. Ex cibis verò minus arte laudatis, ſæpenumerò minus pravum elicitur nutrimentum, ſi vehementiùs concoquantur & perfectiùs elaborentur. Quid enim eſt concoctio aliud, niſi πλέωσις perfectio, quæ fit à calore naturali ac proprio? immò tùm verè concoctum alimentum dicimus, cum à calore nativo veluti elixatum, permutatum, in eamque qualitatem converſum fuerit, quâ animanti familiare tali mutatione ſit effectum, τὸ πεφθὲν, quod jam coctum plenè, factumque dicimus. Alimentum certè imperfectè alimentum eſt, quàm diu incoctum fuerit.

Ideoq;

Ideoque neceſſe eſt, ut calor concoquens vincat & terminet humidum, in quod agit: hoc enim niſi fiat, ἀπεψία, id eſt, imperfecta concoctio oritur: requiritur etiã, ut calor regnans ac dominans ſit cõmenſuratus humido concoquendo. Hinc Ariſtoteles 4. Meteor. inquit, tùm eſſe perfectam concoctionem, ὅταν κρατηθῇ ἡ ὕλη, καὶ ἡ ὑγρότης, cum victa ſeu terminta fuerit materia, quæ eſt humiditas: ſiquidem mater ægritudinis humiditas nominatur, quæ ſola terminatur à naturali caliditate.

Ut autem ex fundamentis rem totam deducamus, plura de coctione in medium proferre lubet. In genere coctio eſt actio caloris, quâ humidum cum ſicco per alterationem ad convenientiorem æquabilitatem & conſtitutionis & qualitatum reducitur. Hinc cocta dicuntur, quæcunque juſtam ſubſtantiæ & qualitatum conſtitutionem ac terminum aſſecuta ſunt. Si verò res coquenda eſt, obediens reddenda naturæ ad nuturitionẽ, vel ad expulſionem, meliorem, neceſſariò fieri debet rei iſtius evictio.

Cæterùm differentiæ coctionis, ratione materiæ, efficientis, ac ipſius finis plures ſunt: aut enim fit à calore externo, qualis eſt coctio culinararia, in qua ciborum fit alteratio ab

tio ab ignis calore, humidum & ſiccum eò reducente, ut à ventriculo evinci atque in chylum converti poſſint, excrementis nimirum aqueis & flatuoſis conſumtis, fibrarumque tenacitate incisâ & divisâ, ſucco nativo tamen conſervato. Hujus plures ſunt modi, elixatio, aſſatio, frixio, toſtio: de quibus hîc non ago, ſed nihilominus has concoctiones præſuppono. Non enim calor noſter carnes crudas, aut ſimilia imperfectè cocta, conſumere, & ſubſtantiæ corporeæ aſsimilare poteſt, quemadmodũ ſæpè audivi, ex mutila carnis vitulinæ concoctione & comeſtione nonnullos febrem ſibi tertianam attraxiſſe. Neque verò concoctio feliciter abſolvitur, ſi ſemiuſtulatus calori noſtro cibus objiciatur, cujuſmodi ſemiuſtulâtio ſæpiùs imperitis oſcitantibusq; coquis, mulieribus item, ancilliſque ſegnioribus imputanda eſt, dum extimæ partes carnis ambuſtæ, intimæ verò adhuc crudæ conſpiciuntur.

Alia eſt coctio, quæ à calore intrinſeco partium ſolidarum noſtri corporis perficitur, quæ & ipſa non unius eſt modi, una à fine nuncupatur θρεπτικὴ, quæ eſt alimenti mutatio in corporis noſtri ſubſtantiam, ut ex cibo fiat caro, oſſea ſubſtantia &c. Hanc antecedunt aliæ complures alterationes, quæ &

P ipſæ

ipſæ coctiones nuncupantur: quarum prima, quæ in ventriculo peragitur, χύλωσις dicitur, quâ cibus ore ſumtus in cremorem ſeu chylum convertitur à ventriculo, qui & ſuam propriam qualitatem ei imprimit. Sic panis in ventriculo concoquente non contrariam qualitatem elementarem, ſed aliam ſpecificam aſſumit, veteremque formam & naturam exuens in aliam tranſit, acquirens propriam quandã ventriculi concoquentis qualitatem, quæ ἰδιότης eſt: & hanc poſtquam adeptus eſt, tum demùm chylus nominatur, quia tùm ad generationem ſanguinis aptus & idoneus eſt.

Alia concoctio in epate ac venoſo genere perficitur, ac dicitur χύμωσις & αἱμάτωσις, qua epar chylo attracto propriam qualitatem alibilem imprimit, ac partes ejus calori analogas in ſanguinem convertit.

Tertia demùm concoctio pro partium ſolidarum nutritione præparatur, ubi ipſæ propriam ſuam qualitatem ſanguini imprimunt, ut poſtea ipſis apponi, agglutinari atque uniri poſſit, unde ſequitur nutritio, ſeu mutatio in ſubſtantiam.

Harum omnium coctionum cauſa eſt ipſa facultas coctrix, quæ eſt natura & forma inſtrumentorũ concoctioni dicatorum: hæc rectè valens autor eſt atque verum αἴτιον τῆς

πέψεως:

πέψεως : inſtrumentum verò eſt calor nativus tùm influens, tùm implantatus immò uterque concurrrat neceſſe eſt.

Hæc ideò commemoravi, ut planum fiat, ſingulas coctiones fovendas, ſi quæ verò languentes deprehenduntur, roborandas ac juvandas eſſe externis ſubſidiis, vel ſaltem moderatione vitæ, & abſtinentia. Si ſtomachus languet, non tantùm externo calore ignis, quo alimenta cruda concoquuntur, ſuppetias feremus imbecillitati naturæ, ita ut accuratius ſtudium in iis elixandis & maſticandis adhibeatur. Simili modo ciborum deteriorum, vel etiam ſalubrium in frigidiori ſtomacho coctio promovenda eſt condimento aromatum, vino, fomentis, veſtibus, exercitiis, roborantibus pharmacis. Nam facultas coctrix debilis eſt vel ob partis temperamentum naturâ vitiatum, idq; per contraria corrigendum eſt : vel etiam imminuitur, ob materiæ mutandæ & coquendæ copiam, licet per ſe ſufficiens calor adſit. Ætate tamen declinante, ut in ſenibus, naturaliter conſumitur & diſſolvitur ſpirituoſa ſubſtantia, facultasque coctrix deterior evadit, atq; imperfectior, ideoque alimentis ſubtilioribus, quantum fieri poteſt, fulcienda, & odoriferis aquis roborandà, tàm intrà quàm extrà.

Cruditas igitur, utpote reſolutionis ac ſuffocationis vitæ cauſa præcipua, diligenter evitanda, & concoctionis ratio accuratè habenda eſt, tàm illius, quæ fit in ſtomacho, quàm quæ in jecore, venis, membriſque abſolvitur, quæ longo quodam intervallo indigent; nam interturbatæ convenienti pabulo calorem defraudant, decreſcente calore, facultates vitales langueſcunt, ipſæque vitæ terminus violenter abrumpitur.

Cruditatis naturam paucis quoque examinabimus: hæc, propriè ſic dicta, non niſi fructibus plantarum & arborum ineſt, impropriè verò de excrementis& ſuperfluitatibus noſtri corporis accipitur, quæ omnia dicuntur ὠμὰ, nempe διὰ τὸ μὴ κεκρατῆσθαι ὑπὸ τῆς θερμότητος, μηδὲ συνεστάναι, id eſt, quod non ſint à calore naturali penitus evicta, neque ad juſtam ab eo conſiſtentiam perducta: ineſt enim ejusmodi ſuccis ſuus quoque calor, ſed magis ſunt frigidi, quàm calidi, ideoq; plus obſunt, quàm proſunt, etiamſi relinquantur in corpore, ac ulterius calori ſubjiciantur, præſertim ſi ſint tenaciores ac viſcidiores.

Cruditas eſt ceſſatio caloris, conantis humidum ad æquabilem ſiccitatem reducere; crudaq; in genere appellantur, quæ nondum eos perfectionis gradus, nec eam elabo-

rationem

rationem aſſecuti ſunt, q̃ ſuæ naturæ conveniebat, ob defectum caloris; humidum non rectè definientis; ideoque nondum à calore victa in nutritionem corporis cedere apta ſunt. Quamvis enim aliam ſpeciem ac formam aſſumſerunt, nondum tamen pars concoquens qualitatem propriam ipſis perfectè inprimere potuit. Hinc ex mala diæta cruditates variè ſuccreſcunt: ſi cib. eſt valdè ineptus ad concoctionem propter ſui craſſitiem, relinquuntur cruda: immò ex diverſitate, inepta præparatione, negligenti maſticatione, & pluribus aliis de cauſis, occaſio crudis humoribus ſubminiſtratur. Cruda coacervantur, ſi cibum potus exuperet, ſi durius ſit ingeſtum alimentum, aut actu, vel potentia valdè frigidum: ſi nimia præcedat vigilia, aut immodicus labor animi, ſive corporis adſit. Accumulantur etiam, ſi excrementorum quotidiè prodeuntium conſueti meatus intercludantur, quorum purgatio ad vitam diu prorogandam omninò neceſſaria eſt. Sordes cuti forinſecus adhæreſcentes, niſi abſtergantur, cœteris vaporibus, per ſpiracula penetraturis, viam occludunt, ex qua occluſione ſordes regurgitantes, viſcera nobiliora obruunt, & crudum crudo adjiciunt. Segnities ad motum, ut & nimia laſsitudo, ex

laboribus athleticis, præter vitæ conditionẽ contracta, cruditates ſimiliter gignit, quæ humidum radicale reddunt impurius, adeò, ut citiùs, quàm aliàs, flacceſcere ac interire cogatur. Verùm de his ſpeciatim capita ſequentia monebunt. Hoc tantùm adjicio, Auſtriacos non adeò exquiſitè ut alibi carnes, & alia eſculenta calore externo elixare: cum n. incolis vina potentia in uſum quotidianum cedant, eaque vi magnâ concoquendi polleant ingeſta alimenta: certè vinum, licet non ſit principale agens in ventriculo concoquẽte, opus habebit convenienti ſubjecto, in ꝙ agat, ne fortaſsis vim inferat humido radicali, illudque depopuletur. Nam nativus calor, quàm diu in vivis eſt homo, nunquam functiones ſuas intermitttit, ſed continuò agit vel in alimenta, vel in excrementa, vel in ſeipſum. Hinc calor vino valdè corroboratus, & tanquam duplicatus; in alimenti penuriâ vim eſſet illaturus ſubſtantiæ nobiliori, quod ne fiat, denominatorum populorum cibi nonnihil crudi offeruntur. Alibi v. ubi vini uſus rarior eſt, perfectiùs omninò concoquendæ ſunt carnes, nec non cætera alimenta, præſertim in iis locis, ubi vinum vulgare, vel certè lymphatum bibere cogi-

mur,

mur, atque etiam cereviſiam temperamento frigidiorem. Unde & illud colligitur, emaciatis & calore conſumtis vinum generoſum minùs, quàm corpulentis convenire.

CAPUT XXXI.

De cibo & potu, deq; vero alimentorum uſu.

CUm natura hominum infirmis principiis edita diſſolutioni ac inanitioni, tandemque interitui obnoxia ſit, & perpetuo fluore melior ac tenuior ſubſtantiæ noſtræ pars diſſipetur: ſumma Conditoris providentia ac φιλανθρωπία cibum & potum, ceu præſens quoddam inanitionis remedium, mortalium generi uberrimè conceſſit: ita quidem, ut utroque tàm cibo, quàm potu, quicquid nectaris noſtri & vitalis humoris, calore, labore, vel inedia exhauſtum eſt, reſarciatur, quò ſubſtantia noſtra fluori obnoxia languorem ſuum deponere, novasque vires induere poſſet. Et cum hoc caput pulcherrimam doctrinam contineat, ſedulò commonefactiones ſequentes ſunt obſervandæ, utpote ad propagandam vitam maximè conducentes.

I.

Primò omnium agendæ ſunt **gratiæ** præpotenti Deo, qui vitam noſtram, **naturæ** vitio momentaneam, fluxam, caducam, **ali-mentorum** ope ſublevat ac ſuſtentat. **Hanc** ſummam clementiam Dei, qui dat eſcam omni carni, & ex cujus manu nos ſatiamur, ac benedictione implemur, quid ni gratò pectore admiremur?

II.

Qui ſaniti ſtudet, nec vitam ſuam odit, in cibis ſumendis delectum debet inſtituere, nec omnis generis edulia promiſcuè devorare: cum enim pro varia ciborum natura tàm corpora, quàm animi meliores, deterioresvè evadant, utique in hoc delectu non tantùm bonitatis ſed etiam menſuræ, conſuetudinis, delectationis, ordinis, vitæ generis, temporis & horæ paſtus, ætatis denique ratio habenda eſt.

III.

Bonitas alimentorum conſiſtit in eo, ſi neque nimis craſſum, neque nimis tenuem ſuccum in corpore gignunt, nec in qualitatibus primis magnoperè excellunt: licet negari non poſsit, labores validos ſuſtinentibus alimentum magis craſſum, quàm tenue,

conve-

convenire. Hinc ſtomachus cholericus felicius concoquit bubulam carnem, quàm piſces ſaxatiles, cum ibi ſit juſta proportio inter agens & patiens, hîc nulla, vel admodum exigua.

Nam nimius calor, idoneam materiam ſuſcipiens, cum ea liberè congreditur, eamque juſto ſpatio temporis interveniente, in concertando atterit atque conſumit: levem verò, ut latentem præterit, & in cinerem potius, quàm ſuccum idoneum convertit. Sic ingentia robora ignem ſubeuntia carbonum fruſta relinquunt: Paleæ verò conflagratæ nil niſi cinerem ſpectantibus exhibent. Frigidum verò naturâ ſtomachum habentibus abſtinendum eſt ab eſu nimio ciborum naturâ & poteſtate frigidorum, parciusque edendum.

IV.

Quantitatem ſeu menſuram cibi & potus quod attinet, hæc lex aurea ſervetur: tantum cibi potusque ſumendum, ut vires reficere, non opprimere, vitam firmare, non fugare: ſanitatem non frangere, ſed mediocritatem tangere valeant. Nec enim vivimus, ut bibamus, edamus, quod Epicureorum eſt: ſed edimus, bibimus, ut vivamus: nec ulla alia de cauſa indigemus cibo, niſi ut alamus

P 5 ac

Ideoque neceſſe eſt, ut calor concoquens vincat & terminet humidum, in quod agit: hoc enim niſi fiat, ἀπεψία, id eſt, imperfecta concoctio oritur: requiritur etiã, ut calor regnans ac dominans ſit cōmenſuratus humido concoquendo. Hinc Ariſtoteles 4. Meteor. inquit, tùm eſſe perfectam concoctionem, ὅταν κρατηθῇ ἡ ὕλη, καὶ ἡ ὑγρότης, cum victa ſeu terminta fuerit materia, quæ eſt humiditas: ſiquidem mater ægritudinis humiditas nominatur, quæ ſola terminatur à naturali caliditate.

Ut autem ex fundamentis rem totam deducamus, plura de coctione in medium proferre lubet. In genere coctio eſt actio caloris, quâ humidum cum ſicco per alterationem ad convenientiorem æquabilitatem & conſtitutionis & qualitatum reducitur. Hinc cocta dicuntur, quæcunque juſtam ſubſtantiæ & qualitatum conſtitutionem ac terminum aſſecuta ſunt. Si verò res coquenda eſt, obediens reddenda naturæ ad nutritionẽ, vel ad expulſionem, meliorem, neceſſariò fieri debet rei iſtius evictio.

Cæterùm differentiæ coctionis, ratione materiæ, efficientis, ac ipſius finis plures ſunt: aut enim fit à calore externo, qualis eſt coctio culinararia, in qua ciborum fit alteratio ab

tio ab ignis calore, humidum & ſiccum eò reducente, ut à ventriculo evinci atque in chylum converti poſſint, excrementis nimirum aqueis & flatuoſis conſumtis, fibrarumque tenacitate inciſâ & diviſâ, ſucco nativo tamen conſervato. Hujus plures ſunt modi, elixatio, aſſatio, frixio, toſtio: de quibus hîc non ago, ſed nihilominus has concoctiones præſuppono. Non enim calor noſter carnes crudas, aut ſimilia imperfectè cocta, conſumere, & ſubſtantiæ corporeæ aſsimilare poteſt, quemadmodũ ſæpè audivi, ex mutila carnis vitulinæ concoctione & comeſtione nonnullos febrem ſibi tertianam attraxiſſe. Neque verò concoctio feliciter abſolvitur, ſi ſemiuſtulatus calori noſtro cibus objiciatur, cujuſmodi ſemiuſtulatio ſæpiùs imperitis oſcitantibusq; coquis, mulieribus item, ancilliſque ſegnioribus imputanda eſt, dum extimæ partes carnis ambuſtæ, intimæ verò adhuc crudæ conſpiciuntur.

Alia eſt coctio, quæ à calore intrinſeco partium ſolidarum noſtri corporis perficitur, quæ & ipſa non unius eſt modi, una à fine nuncupatur θρεπτική, quæ eſt alimenti mutatio in corporis noſtri ſubſtantiam, ut ex cibo fiat caro, oſſea ſubſtantia &c. Hanc antecedunt aliæ complures alterationes, quæ &

P ipſæ

ipſæ coctiones nuncupantur: quarum prima, quæ in ventriculo peragitur, χύλωσις dicitur, quâ cibus ore ſumtus in cremorem ſeu chylum convertitur à ventriculo, qui & ſuam propriam qualitatem ei imprimit. Sic panis in ventriculo concoquente non contrariam qualitatem elementarem, ſed aliam ſpecificam aſſumit, veteremque formam & naturam exuens in aliam tranſit, acquirens propriam quandã ventriculi concoquentis qualitatem, quæ ἰδιότης eſt: & hanc poſtquam adeptus eſt, tum demùm chylus nominatur, quia tùm ad generationem ſanguinis aptus ac idoneus eſt.

Alia concoctio in epate ac venoſo genere perficitur, ac dicitur χύμωσις & αἱμάτωσις, qua epar chylo attracto propriam qualitatem alibilem imprimit, ac partes ejus calori analogas in ſanguinem convertit.

Tertia demùm concoctio pro partium ſolidarum nutritione præparatur, ubi ipſæ propriam ſuam qualitatem ſanguini imprimunt, ut poſtea ipſis apponi, agglutinari atque uniri poſſit, unde ſequitur nutritio, ſeu mutatio in ſubſtantiam.

Harum omnium coctionum cauſa eſt ipſa facultas coctrix, quæ eſt natura & forma inſtrumentorũ concoctioni dicatorum: hæc rectè valens autor eſt atque verum αἴτιον τῆς

πέψεως:

πέψιος : inſtrumentum verò eſt calor nativus tùm influens, tùm implantatus immò uterque concurrrat neceſſe eſt.

Hæc ideò commemoravi, ut planum fiat, ſingulas coctiones fovendas, ſi quæ verò languentes deprehenduntur, roborandas ac juvandas eſſe externis ſubſidiis, vel ſaltem moderatione vitæ, & abſtinentia. Si ſtomachus languet, non tantùm externo calore ignis, quo alimenta cruda concoquuntur, ſuppetias feremus imbecillitati naturæ, ita ut accuratius ſtudium in iis elixandis & maſticandis adhibeatur. Simili modo ciborum deteriorum, vel etiam ſalubrium in frigidiori ſtomacho coctio promovenda eſt condimento aromatum, vino, fomentis, veſtibus, exercitiis, roborantibus pharmacis. Nam facultas coctrix debilis eſt vel ob partis temperamentum naturâ vitiatum, idq; per contraria corrigendum eſt: vel etiam imminuitur, ob materiæ mutandæ & coquendæ copiam, licet per ſe ſufficiens calor adſit. Ætate tamen declinante, ut in ſenibus, naturaliter conſumitur & diſſolvitur ſpirituoſa ſubſtantia, facultasque coctrix deterior evadit, atq; imperfectior, ideoque alimentis ſubtilioribus, quantum fieri poteſt, fulcienda, & odoriferis aquis roboranda, tàm intrà quàm extrà.

Cruditas igitur, utpote reſolutionis ac ſuffocationis vitæ cauſa præcipua, diligenter evitanda, & concoctionis ratio accuratè habenda eſt, tàm illius, quæ fit in ſtomacho, quàm quæ in jecore, venis, membriſque abſolvitur, quæ longo quodam intervallo indigent; nam interturbatæ convenienti pabulo calorem defraudant, decreſcente calore, facultates vitales langueſcunt, ipſæque vitæ terminus violenter abrumpitur.

Cruditatis naturam paucis quoque examinabimus: hæc, propriè ſic dicta, non niſi fructibus plantarum & arborum ineſt, impropriè verò de excrementis& ſuperfluitatibus noſtri corporis accipitur, quæ omnia dicuntur ὠμὰ, nempe διὰ τὸ μὴ κεκρατῆσθαι ὑπὸ τῆς θερμότητος, μηδὲ συνεστᾶναι, id eſt, quod non ſint à calore naturali penitus evicta, neque ad juſtam ab eo conſiſtentiam perducta: ineſt enim ejusmodi ſuccis ſuus quoque calor, ſed magis ſunt frigidi, quàm calidi, ideoq; plus obſunt, quàm proſunt, etiamſi relinquantur in corpore, ac ulterius calori ſubjiciantur, præſertim ſi ſint tenaciores ac viſcidiores.

Cruditas eſt ceſſatio caloris, conantis humidum ad æquabilem ſiccitatem reducere; crudaq; in genere appellantur, quæ nondum eos perfectionis gradus, nec eam elabo-

rationem

rationem aſſecuti ſunt, q̃ ſuæ naturæ conveniebat, ob defectum caloris; humidum non rectè definientis; ideoque nondum à calore evicta in nutritionem corporis cedere apta ſunt. Quamvis enim aliam ſpeciem ac formam aſſumſerunt, nondum tamen pars concoquens qualitatem propriam ipſis perfectè inprimere potuit. Hinc ex mala diæta cruditates variè ſuccreſcunt: ſi cib. eſt valdè ineptus ad concoctionem propter ſui craſſitiem, relinquuntur cruda: immò ex diverſitate, inepta præparatione, negligenti maſticatione, & pluribus aliis de cauſis, occaſio crudis humoribus ſubminiſtratur. Cruda coacervantur, ſi cibum potus exuperet, ſi durius ſit ingeſtum alimentum, aut actu, vel potentia valdè frigidum: ſi nimia præcedat vigilia, aut immodicus labor animi, ſive corporis adſit. Accumulantur etiam, ſi excrementorum quotidiè prodeuntium conſueti meatus intercludantur, quorum purgatio ad vitam diu prorogandam omninò neceſſaria eſt. Sordes cuti forinſecus adhæreſentes, niſi abſtergantur, cœteris vaporibus, per ſpiracula penetraturis, viam occludunt, ex qua occluſione ſordes regurgitantes, viſcera nobiliora obruunt, & crudum crudo adjiciunt. Segnities ad motum, ut & nimia laſsitudo, ex

 labo-

laboribus athleticis, præter vitæ conditionẽ contracta, cruditates ſimiliter gignit, quæ humidum radicale reddunt impurius, adeò, ut citiùs, quàm aliàs, flacceſcere ac interire cogatur. : Verùm de his ſpeciatim capita ſequentia monebunt. Hoc tantùm adjicio, Auſtriacos non adeò exquiſitè ut alibi carnes, & alia eſculenta calore externo elixare: cum n. incolis vina potentia in uſum quotidianum cedant, eaque vi magnâ concoquendi polleant ingeſta alimenta: certè vinum, licet non ſit principale agens in ventriculo concoquẽte, opus habebit convenienti ſubjecto, in q̃ agat, ne fortaſsis vim inferat humido radicali, illudque depopuletur. Nam nativus calor, quàm diu in vivis eſt homo, nunquam functiones ſuas intermitttit, ſed continuò agit vel in alimenta, vel in excrementa, vel in ſeipſum. Hinc calor vino valdè corroboratus, & tanquam duplicatus; in alimenti penuriâ vim effet illaturus ſubſtantiæ nobiliori; quod ne fiat, denominatorum populorum cibi nonnihil crudi offeruntur. Alibi v. ubi vini uſus rarior eſt, perfectiùs omninò concoquendæ ſunt carnes, nec non cætera alimenta, præſertim in iis locis, ubi vinum vulgare, vel certè lymphatum bibere cogi-

mur.

mur, atque etiam cereviſiam temperamento frigidiorem. Unde & illud colligitur, emaciatis & calore conſumtis vinum generoſum minùs, quàm corpulentis convenire.

CAPUT XXXI.

De cibo & potu, deq; vero alimentorum uſu.

CUm natura hominum infirmis principiis edita diſſolutioni ac inanitioni, tandemque interitui obnoxia ſit, & perpetuo fluore melior ac tenuior ſubſtantiæ noſtræ pars diſſipetur: ſumma Conditoris providentia ac φιλανθρωπία cibum & potum, ceu præſens quoddam inanitionis remedium, mortalium generi uberrimè conceſſit: ita quidem, ut utroque tàm cibo, quàm potu, quicquid nectaris noſtri & vitalis humoris, calore, labore, vel inedia exhauſtum eſt, reſarciatur, quò ſubſtantia noſtra fluori obnoxia languorem ſuum deponere, novasque vires induere poſſet. Et cum hoc caput pulcherrimam doctrinam contineat, ſedulò commonefactiones ſequentes ſunt obſervandæ, utpote ad propagandam vitam maximè conducentes.

convenire. Hinc ſtomachus cholericus felicius concoquit bubulam carnem, quàm piſces ſaxatiles, cum ibi ſit juſta proportio inter agens & patiens, hîc nulla, vel admodum exigua.

Nam nimius calor, idoneam materiam ſuſcipiens, cum ea liberè congreditur, eamque juſto ſpatio temporis interveniente, in concertando atterit atque conſumit: levem verò, ut latentem præterit, & in cinerem potius, quàm ſuccum idoneum convertit. Sic ingentia robora ignem ſubeuntia carbonum fruſta relinquunt: Paleæ verò conflagratæ nil niſi cinerem ſpectantibus exhibent. Frigidum verò naturâ ſtomachum habentibus abſtinendum eſt ab eſu nimio ciborum naturâ & poteſtate frigidorum, parciusque edendum.

IV.

Quantitatem ſeu menſuram cibi & potus quod attinet, hæc lex aurea ſervetur: tantum cibi potusque ſumendum, ut vires reficere, non opprimere, vitam firmare, non fugare: ſanitatem non frangere, ſed mediocritatem tangere valeant. Nec enim vivimus, ut bibamus, edamus, quod Epicureorum eſt: ſed edimus, bibimus, ut vivamus: nec ulla alia de cauſa indigemus cibo, niſi ut alamus

P 5 ac

ac reficiamus corpus. Nutriet verò corpus, ac recreabit, ſi benè fuerit coctus, benè autem coquetur, ſi modicus: qui enim eſt nimius, manet crudus, hoc dato, ejus corrumpitur uſus. Ita inſipientes lurcones edunt, ut edant: potatores bibunt, ut bibant: ſapientes edunt, ne edant, bibunt ne bibant.

Noretur etiam aurea Hippocratis ſententia lib. 2. aphoriſm. 17. ὅπου ἂν τροφὴ πλείων παρὰ φύσιν εἰσέλθῃ, τὸν νοῦσον ποιέει, id eſt, ubi cibus copioſior præter naturam ingeſtus eſt, facit morbum: ſuperans namque vires à calore nativo deſeritur, adeoque putreſcit, aut copia ſua calorem ſuffocat, aut vaſa frangit & diſrumpit. Utque nimia ſacietas morbos parit: ſic ſæpè inutilis nimia abſtinentia, neque è ſacietate fames, neque è fame ſacietas & immodica ingurgatio utilis: nam inedia longior humores creat putridos, bilem auget, humidum radicale depopulatur.

V.

Cùm natura gaudeat conſuetis, & conſuetudo quędam natura ſit aſcititia ſeu acceſſoria, ea quoque in cibo & potu locum nonnunquam habebit. Sæpiùs enim alimenta, quibus aſſuefacti ſumus, minus iis, quæ in-

ſueta

ſueta ſunt, moleſtare ſolent. Multi certè aſſueti ſunt pravis alimentis, quibus tamen non læduntur: iiſdem tamen alii non aſſueti maximè læduntur. Hinc etiam 2. de vict. acut. Hippocrat. ait: vitioſus tùm cibus & potus, ſemper ſibi ſimilis, ad ſanitatem tutior eſt, quàm ſi quis ſubitò ad alterum, meliorem etiam, ſe transferat. Verùm hæc non ideò adducuntur, quaſi licentiam nos apperiremus hominibus ad omnis generis cibos, quantumvis pernitioſiſſimos, dummdò palato arrideant, degluciendos, nequaquam.

Nam quid natura ferre ac perdurare poſſit, probè perpendendum: Siquidem ad inſueta quoque paulatim, eaque ſalubriora tranſeundum eſt: & unus atque alter ictus naturæ inflictus, non ſtatim ſanitatem proſternit, ſed inſenſibiliter tamen lædit, donec tandem gravis ægritudo ſubitò prorumpat, atque in lucem ſeſe proferat.

VI.

Delectationem quod attinet, natura non diſtrahenda vel offendenda iis, quæ ipſi prorsùs inimica ſunt; ſunt enim quædam individua, quæ ob ſingularem quandam naturæ ſuæ proprietatem averſantur caſeum

VIII.

Natura paucis quidem ac cibo ſimplici contenta eſt: at ſi plura fercula in unica menſa apponuntur, prælibari debent mollia & humida, quæ & faciliùs concoquuntur, & liberiùs ad alvum deſcendentia, reliquis aditum patefaciunt. Sicciora, aſtringentia & ſolida poſterius ſunt comedenda, quibus nimirum ſtomachus accuratiùs claudatur, eorumque ſoliditate vaporum exurgentium fiat depreſſio, quemadmodùm fluidioribus cibis antea peragebatur ſtomachi relaxatio, & ad ſequentem concoctionem neceſſaria præparatio. Aurigæ hanc regulam non obſervant, ſed in hoſpitia divertentes, primò omnium caſeum cum pane ſibi apponi curant, in quibus diſſecandis ac deglutiendis, licet eſſent adhuc ſolidiora, non me herclè ſegnes ſunt. Poſtea, cum ſtruices patinariæ ſunt paratæ, abſque omni mora eaſdem avidiſsimè vacuant: tandem labori ſuo finem imponunt & eâdem materia, caſeo ſcilicet, ut undique fiat antiperiſtaſis, feliciter concludunt.

IX.

Quamobrem varium vitæ genus varium victum deſiderat: qui enim plus laborant, pluribus indigent alimentis: qui verò nullas,

vel

vel etiam mitiores, corporis motiones ſubeunt, aut planè ſedentariam vitam colunt, victu ſubtiliori ac pauciori indigent.

Nam inter ingeſtum alimentum, & inter calorem eidem ſubigendo deſtinatum, requiritur juſta proportio, aliàs exiſtunt cruditates. Sunt itaque tàm externæ repletiones, quàm immodicæ inanitiones graves & moleſtæ. 1. aphoriſm. 4. Tanta eſt hujus aſſertionis veritas, ut & adagium inde fuerit extructum. Hinc & Siracides prudenter monet, cap. 38. ὀ πάντα πᾶσι συμφέρει, non omnia omnibus expediunt, allerley dienet nicht jederman. Et Celſus lib. 2. cap. 18: inquit: imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt, mediocriter firmos media materia optimè ſuſtinet, & robuſtis apta validiſſima eſt.

X.

Quæcunque ordine geruntur, rectè & feliciter geruntur: idem de tempore ſumendorum alimentorum accipiendum eſt. Niſi enim cibi & potus in tempore ſumantur, concoctiones omnes in corpore inturbantur, & crudum indigeſto accumulatur. Tempus generalius quod attinet, quia ventres hyeme & vere naturâ ſunt calidiſſimi,

idcircò

idcircò iis temporibus alimenta plura requiruntur, calorem innatum ſiquidem copioſiorem habent: autumno verò & æſtate parcius alimentum corpori offerendum, cū calor tùm temporis ſit imminutus. Certæ inſuper horæ cibationi deputandæ, & requies etiam ventriculo permittenda, ne continuâ ingeſtione ab officio ſuo abſtrahatur, & reliqui quoque concoctionum ordines invertantur. Ut plurimùm igitur in ſpacio iſto, quod intercedit horas paſtus, abſtinendum. Nonnunquam tamen præſertim tempore æſtivo, nonnihil indulgendum, jecurq; æſtuans irrigandum potu, non tamen confertim, ne aliis ſymptomatibus cauſam ſubminiſtremus.

XI.

Ætas inſuper nutritionis varietatem conſtituit: quæ enim creſcunt, plurimum habent calidum innatum: hæc ergò creſcens ætas plurimum alimenti poſtulat, quia corpus alioqui conſumeretur. Senibus verò parùm calidi ineſt, proprerea paucis fomitibus ſeu alimentis opus habent.

Ubi

Ubi enim alimenti quantitas calori nativo, ſubſtantiam corporis diſſolventi, ac viciſſim novum alimentum reparanti, non eſt ἀνάλογ☉: tunc nulla fit bona juſtaque nutritio, cũ hæc nihil aliud ſit, quàm ejus, quod diſſolutum eſt, refectio à calore per coctionem facta. Quamobrem non repoſito alimento ſufficienti, & ad calorem analogo, corpus contabeſcere neceſſe eſt: calore nimirum agente in humidum: aut calor copioſiori cibo obtuſus extinguetur. At pueri abundant calore, qui ſanè mollia ipſorum corpora potenter diſſolvit.

Senibus autem parum ineſt caloris, qui nec multum diſcutit, nec ob debilitatem multum reficere poteſt. Pueris itaque plurimum, ſenibus verò paucum alimentum ſubminiſtrandum eſt.

XII.

Homines plerunque plus excedunt in potu quàm cibo, ideoque calorem reddunt obtuſiorem, ſanguinemque tenuiorem & frigidiorem: hinc ſimile quiddam ſuccedit, quale contingit infundentibus aquam frigidam in lebetem ferventem: mutila namque fit concoctio, & difficulter procedit, multumq; negocii calori faceſſit. Eadem ratione

res

res ſeſe habet in noſtro corpore, quod nimio humido obrutum langueſcit, & calor ibidem contentus ante diem diſſolvitur ac ſuffocatur.

XIII.

Ciborum apparatus ab omni ſorditie ſit alienus, ſupellex nitida ſit ac munda: coquantur eſculenta in vaſe terreo. Linteolum abſterſorium ſit purum, cantharus nitidus, cultellus mundus, urceus politus, non mucoſa aliqua materia conſpurcatus, quadræ vel orbiculi probè abſterſi, nec pinguedine adhuc circumducti. Coqua ſit lepida, formoſa, non auſtera, ſed gratioſa, non annis panniſq; obſita, ſed juvencula.

Nam munditíes naturæ noſtræ familiaris eſt & accepta, ſpurcities verò inviſa. At quænam hæc eſt munditíes, ſi coquæ foco aſtantes de pulicibus capiendis ſint ſolicitæ? cujuſmodi beſtiolas tanto ardore ſæpiùs inſequuntur, ut iſtæ præ nimio terrore de fuga ſibi proſpicere & charybdim devitare volentes, in Scyllam incidant, & juſculis quandoq; immerſæ pereant. Quis non abhorreret ejuſmodi ſordidas venatrices? ad ſues ablegandas.

CAPUT XXXII.

De varietate ferculorum, num cibus ſimplex vitæ producendæ magis arrideat, quàm varius, & num expediant menſæ ſecundæ?

VUlgare quidem eſt, multisq; plauſibile dictum: delectat interdum varietas. In omni autẽ voluptatum genere primò omnium, an cum honeſtate ſint conjunctæ, inquirendum, ſecundò an valetudini conducant, necnè. Apud magnates quidem ob ſingularẽ in multiplicãdis ferculis coci extolluntur, ſed tamen iſta eduliorum varietas omninò cruditatis &cacochymiæ cauſa exiſtit. Qui enim ſimplicẽ cibum ſumit, facilè, quo ſucco corpus ejus vel juvetur vel gravetur, uſu docente multiplici cognoſcit. qui v. cibo alitur, diverſas patitur qualitates, ex diverſitate ſuccorũ, nec concordant humores ex materiæ varietate naſcentes, nec efficiunt liquidum, purumvè ſanguinem, in quem jecoris miniſterio vertuntur, & in venas cum tumultu tranſeunt. Hinc morborum ſcaturigo, qui ex repugnantium ſibi humorum diſcordia naſcuntur. Deinde, quia non omnium, quæ eſui

eſui apta ſunt, una natura eſt, non omnia ſimul coquuntur, ſed alia celeriùs, tardiùs alia: & ita fit, ut digeſtionum ſequentium ordo turbetur. Sufficit igitur naturæ menſis ſingulis unicum tantummodò ferculum: ſi verò duo vel tria, ut moris eſt, delibanda placent, curandum, ne ſint diverſi temperamenti ad evitandam ſeditionem. Non enim natura, ex æquo ſimul, ſi diverſę ipſis inhæreant qualitates, ſatisfacere poteſt. Nam ex diverſis ac diſcordantibus cibis diſſimilis procreatur chylus (qui chylus aliàs ex cibo, quantumvis ſimplici, elaboratus diverſas partes fovet, ut ex ſuccorum inde promanantiũ diverſitate conſtat) unde diverſus emergit ſanguis, ac diverſa ſolidarum partium ſubſtantia. Diverſa verò & heterogenea non conveniunt, ex qua lucta ſequitur deſtructio: gaudet enim natura temperatis: ergò & cibus ſimplex maximè erit accommodatus.

Quantæ enim turbæ excitabuntur, ſi fercula ferculis, acetaria acetariis, fructus fructibus, cruda coctis, cocta crudis, aſſata elixatis, elixata aſſis, recentia vetuſtis, acida dulcibus, mollia duris ſuperaddantur.

Tantas ſtruices, inquit Plautus, concinnant patinarias, ſtandum eſt in in lecto, ſi quid de ſummo petas; tantas certè ſæpius, ut bajulo, qui apportet, ſit opus: ex multiplici carnium genere extruunt, ac congerunt.

Sed non ſatis eſt, piſces, carnes frixas, elixatas, aſſatas & aceto maceratas fumoque induratas, aggregâſſe, & appoſuiſſe varia farcimina; Piſtoris opera inſuper accedat neceſſe eſt,& aliquot placentæ aggregandæ,apportandæ, devorandæ. Quoniam verò ita nos inolevit, ut in magnificis, ac ſumtuoſis conviviis ſecunda quoque fercula & bellaria apponantur: ſi viro Politico conviviorum acceſſus non omninò ſunt præterfugiendi, ſuaſor ſum, ut de menſis ſecundis illæ potius prælibentur,quæ coctionem promovent,humiditates in ſtomacho abſumunt, & vapores æſtuantes deprimunt, ut ſunt panes norici aromatiſati, diacydonion lucidum, confectio aniſi, fœniculi, Coriandri.

Notandum tamen & hoc, non nulla honoris gratia apponi, quivis hoſpitum contrectabit ea, quæ ſuæ naturæ magis arrident,ac familiariora videntur: non enim omnes iisdem gaudent: juvant nonnullos carnes leporinæ, alios bubulæ, cæteros ſuillæ. Eadem ratio in cæteris eduliis habenda.

CAP. XXXIII.

CAPUT XXXIII.

De Motu & Quiete, quomodo ad ſuſtentationem & conſervationem vitæ faciant.

AD humani corporis inculpatam Conſtitutionem, integramque ſanitatem diu conſervandam, plurimosque languores inhibendos, exercitium tàm animi, quàm corporis, tùm eorum refocillatio & quies permultum confert: notandi igitur ſunt ſequentes aphoriſmi:

I.

Exercitium moderatum eſt verum fomentum caloris noſtri inſiti, remedium quoque idoneum fuliginoſarum ſuperfluitatum in corporibus redundantium, & omnis plethoræ obſtaculum: nervorum denique & juncturarum corroborandarum auxilium accommodotum. Nam poſt exercitationem ſequitur calor: hinc ſpiritus & humores deliteſcentes, motu tenuiores redditi, funduntur, & in univerſum corpus, diſtributione facta, trajiciuntur. Hic calor intimo ſuſcitabulo reſultat, perinde ut è ventilatione

latione flammæ: quare idem coctionum, diſtributionum, expulſionum adjutor eſt.

II.

Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria, monente Hippocr. libr. 6. Epidem. ſect. 6. quo dicto & modus ſingulorum definitur, & tempus quoque ſignificatur ipſo ſermonis ordine. Sanitatis enim tutela à labore inchoanda, quem excipere debet cibus & potus; ſomnus deinde à paſtu convenienter admittitur: mox à ſomno Venus, quæ tamen in iis duntaxat locum habet, qui legitimè ea uti poſſunt, nec offenſionem inde percipiunt.

III.

Exercitatione ſanguis caleſit, ac movetur, & corpus purgatur, & quod compactum eſt, caleſcens attenuatur, ac ſimul ex carne foràs ſub cutem extruditur, ac fit ſudor; ideoque tùm ad excrementorum inanitionem, tùm ad robur partibus inducendum, exercitatio conducit. Robur quidem partibus conciliatur, dum in exercitatione membra mutuam ſubeunt attritionem, & ſic quandam duritiem & calorem induunt. Inanitio verò excrementorum ejuſmodi quidem, quæ ſub cute ſolent colligi, procuratur, dum in eâdem exercitatione genuinus

calor

calor augetur, & reſpiratio concitatior redditur, agitatis nempe ſpiritibus, poriſque cutaneis recluſis. Quapropter ſtudium, & quaſi caput ſummum ſanitatis conſiſtit in eo, ſi quis veſcatur citra ſaturitatem, nec laborem refugiat.

IV.

Qui imbecillo ſunt ſtomacho, ut ſunt urbanorum & literatorum magna pars, hi ſeſe convenienter exerceant clara lectione, armis, pila, lucta, curſu, inambulatione, quæ tamen omnia cibo potius præmittenda, ad cruditates ſtomachi conſumendas, cùm vehementiori conatu perficiantur.

V.

Labores vocis, ut ſunt ſermo, lectio, cantus, hi omnes ſpiritus corporis movent, qui moti ſiccantur & incaleſcunt, ac humiditates in corpore abſumunt: Siquidem omnis labor aliquid humoris è corpore abducit.

VI.

Motus temperatus naturam juvat: naturalis namq; calor cuſtoditur modicis tùm corporis tùm animi exercitiis, quod teſtatur Hippocrates lib. 6. Epidem. ſect. 4. ubi πόνων ἀοκνίην, ὑγιείης ἄσκησιν, id eſt, laborum impigritatem, ſanitatis exercitium ponit: & de diæta:

ὁ δύναται ἐσθίων ἄνθρωπος ὑγιαίνειν, ἢν μὴ καὶ πονέῃ, id est, non poteſt homo, genio indulgens, ſanitate frui, ſi labor abſit.

VII.

Qui à pueris in deſidia & intemperantia vivunt, bonitatem naturæ ſuæ corrumpunt: qui verò temperantiâ vitæ & appoſitis exercitiis delectantur, vitia naturæ ſuæ commutant in melius, Galenus lib. 2. de ſanitate tuenda cap. 7.

VIII.

A' deſidia & otio timiditas, ab exercitatione & laboribus virilitas creſcit. Hipp. in fine lib. de aëre, aquis & locis. Nam exercitatio intermiſſa ſpiritus torpidos, facultatesque omnes reddit inermes: hinc cruditates, obſtructiones, excrementa pituitoſa, putredines, febres, Lethargus, Arthritis, progignuntur.

IX.

Motus in conveniens, ſeu exercitatio nimia, ſive à rationali, ſive ab appetitoria, ſive ab animoſa animi parte cieatur, inflammat, muſculos ac nervos enervat, ſpiritus & calorē nativum diſſipat, membranas diſtendendo & attenuando divellit, affectus bilioſos aliosque non ferendos proſeminat.

X. In

X.

In omni corporis motu, ſimul ac quis defatigari cœperit, quies ſtatim laſsitudinem levat. Hipp. lib. 2. Aphoris. aph. 48. Non tamen omnis laſsitudinis remedium eſt quies, ſed ejus ſolùm, quæ ratione motus vehementioris primùm oboriri cœpit, non quæ ab acribus praviſque humoribus fovetur: ea ſiquidem laſſitudo non eſt ſpontanea, ſed potius morboſa. Itaque dolores ratione motus contracti, ſi mox per quietẽ mitigentur, oſtendunt corpus ſanum & euchymum. Cacochymum contrà, praviſque humoribus refertum, ſi laſſitudo ſubſequente quiete perſiſtat.

XI.

Conſueti ſolitos labores ferre, etſi invalidi, vel ſenes ſint, facilius eos ferunt, quàm qui non ſunt aſſueti, quamvis robuſti ac juvenes lib. 2. aph. 49. quem aphoriſmum comprobat Celſus lib. 1. cap. 3, ubi inquit: omnẽ laborem faciliùs puer, vel ſenex, quàm inſuetus homo ſuſtinet. Nam homines inexercitati, ἀγύμναστοι, ab omni labore defatigantur: exercitati γεγυμνασμένοι non tàm facilè; ſed & hi ab inſuetis laboribus, vel modum excedentibus, moleſtantur, & languorem percipiunt. Conſueta igitur faciliùs ferimus:

cauſa huius εὐφορίας eſt, quia robur partis exercitatæ auctius redditur propter duritiem ac ſoliditatem articulorũ, tendinum ac ligamentorum, quam ex attritu mutuo per exercitia accipiunt: plus etiam caloris & ſpiritus, qui motu fit excitatiori, ad eam partẽ transmittitur: hinc facilior fit extenſio fibrarum in muſculis, quia promtiùs ad eam figuram, quam ſæpiùs acceperunt, trahuntur, idque ſine dolore perficitur.

XII.

Plurimùm & repente vacuare vel replere, aut calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculoſum: quod verò paulatim fit, tutum eſt lib. 2. Aph. aph. 51. Si itaque mutatio fiat ὀρθῶς, id eſt, tempeſtivè, paulatim & proportionaliter, non improbanda eſt, cum per medium, utrique extremorum, contrariorum cognatum fiat, unde natura ejuſmodi mutationi faciliùs aſſueſcit.

XIII.

Exercitatio alia eſt naturalis, ut modeſta deambulatio, item viſus, auditus, vocis, curarum &c. labor: ſive enim quis videndo, ſive audiendo, ſive loquendo, ſive ambulando exerceatur, vel corpus, vel ſpiritus calefacit, & evacuata humiditate ſiccat. Alia exercitatio

ercitatio eſt violenta, ut deambulatio concitatior, curſus longi, continui, curvi, meditationes profundæ, intentæ, immodicæ.

XIV.

Curæ ſeu cogitationes ſunt quaſi deambulatio quædam animæ: ſunt enim exercitationes facultatis animæ ratiocinatricis. Utq; corporis habitus quiete & ocio corrumpitur, gymnaſiis verò magna ex parte conſervatur: ſic animæ habitus inſtitutione ac meditatione, quæ motiones quædam ſunt, in vigore ſuo retinetur, ac incrementum capit. Diffluentes autem ocio, quod ab omni meditatione ac diſciplina vacatio quædam eſt, nihil diſcunt, & ſi quid didicerunt antea, ea rurſus oblivione ſepeliunt.

XV.

Si quis impurgatus laboraverit, & ſeſe exercuerit, ei corpus ulceribus impletur. Quod ſi ſtatim à cibo corpus labore exagites, crudis omninò replebis humoribus: diſtribuitur enim tùm cibus & rapitur ex ventriculo, antequam concoquatur. Non eſt etiam exercitatio adeunda, niſi expulſis prius excrementis, quæ vel in veſica, vel inferiori alvo continentur.

Atq;

Atque in hac parte non raro delinquunt literarum Studioſi, qui ab aſſumto cibo coctiones interturbant atque exiccant diſcurſionibus, ſaltu, luſu pilæ, & ſimilibus aliis motionum generibus violentioribus.

XVI.

Vice verſa non ſubitò, ab exercitatione & motione corporis, cibus eſt ſumendus, ſed aliquantiſper quieſcendum, donec calor membrorum à motu concitatus nonnihil remittat: nam partes æſtuantes raperent cibum crudum è ventriculo. Simili ratione impurgati laborantes, ſeq; exercentes, corpus ulceribus inficiunt, pravis ſuccis ex imperfecta coctione per univerſum corpus diſperſis.

XVII.

Ubi fames, ibi laborandum non eſt, ut præcipit Hippocr. lib. 2. Aphor. aph. 16. per labores intelligit omnes motus vehementiores tàm corporis, quàm animi. Quia igitur fames exiccat corpus, hoc certè, laboribus ſupervenientibus, majorem ſiccitatem ſubibit, unde vires diſſolvi neceſſe eſt, niſi vitioſis ſuccis homo fuerit refertus, ſiquidem hi in alimenti locum ac defectum ſuccedere poſſunt, id quod ſæpè videmus in ægrotantibus, qui famem ſitimque ſatis longo tempo-

re

re ſuſtinere poſſunt. Sed in corporibus ſanis aliter ſeſe res habet: nam calor laboribus excitatus exiccat corpus, quod idoneis alimentis reficiendum eſt, quamvis illud alias validum reddatur, abſente ſcilicet fame.

XVIII.

Calidis & ſiccis naturis, & idcircò gracilibus hominibus validæ corporis atque animi motiones obſunt: in quorum temperamentorum numerò magna ex parte literatorum doctiſſimi deprehenduntur. Permultos ſanè pungit & angit inſana φιλοτιμία, quoſdam ἀσωτία, nonnullos utrunque tenet vitium: hinc diurnis nocturnisque lucubrationibus fracti tot eximii viri præmaturâ morte pereunt, viri, immortalitate vitæ, non putredine digni. Cæteris vinum generoſum, quieſcente interim diſcurſu Philoſophico, inſidias ſtruit, perniciem accerſit, obitum accelerat: alter eruditionis pugillo ſuperare conatur alterum: alius poculis ſibi victoriam quærit: en qui modò ſublimia affectabat, declivia petit: qui voluptatibus nuper indulgebat, dolores incurrit. Quæsò in omnibus tuis actionibus præſentia & futura conſiderato. Fragilibus & ſiccioribus naturis quieſcere conducibilius eſt.

XIX.

XIX.

Genera motionum, ſeu exercitiorum corporis ſunt ſaltus, diſci jactus, curſus, umbratilis annorum exactæque vitæ meditatio, ſtudium intentum, & mediocre, eſt ipſius animi peregrinatio: lucta, jaculatio, ſagittatio, pilæ luſus, geſtatio, vectio, equitatio, navigatio, ambulatio, frictio, venatio.

XX.

Menſura exercitationis quatuor notis circumſcribitur: 1. intumeſcentiâ corporis. 2. floridi caloris apparitione, 3. motus promti, æquabilis & concinni exhibitione, 4. ſudoris, cum calido vapore miſti, excretione. Quàmprimum igitur aliquid horum fuerit immutatum, inhibenda erit exercitatio, ne laudabilis ſucci diſcuſſione corpus in ariditatem deflectat, ne caloris gratia evaneſcat, motuū elegantia remittat, nimiavè ſudoris profuſione vires exhauriantur, corpusq; frigidum relinquatur.

Notentur etiam vulgares Poëtæ verſiculi: 1. de Ponto:

Cernis ut ignavum corrumpant ocia corpus,
Ut capiant vitium nî moveantur aqua.

Et

Et 5. Triſt. Eleg. 12.

Adde quod ingenium longâ rubigine læſum,
Torpet, & eſt multò, quàm fuit ante minus. &c.

De moderato corporis animique exercitio percipiendum.

Et Vulgatum:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Item. Arcus nimiùm intentus frangitur: de nimio motu intelligendum.

CAPUT XXXIV.

De vigilia & ſomno, quæ modò brevitatis, modò longitudinis vitæ cauſa ſunt.

OMnia tempus habent, noſtræque naturæ pergrata eſt ſomni & vigiliarum viciſſitudo, convenienti tempore inſtituta: ideoque, ne quis exceſſus in utroque committatur ſequentibus præceptionibus attendendum.

I. Tempe-

I.

Tempeſtiva quies ſeu ſomnus oportunus eſt, quando interdiu vigilamus, noctu dormimus. Nam ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου γενόμενα μᾶλλον, κακὸν, id eſt, ſomnus, vigilia, utraque ſi modum exceſſerint, malum, lib. 2. aph. Hipp. aph. 3. Dies igitur vigiliæ, nox ſomno tributa eſt. Cum enim Sol vel ad hemiſphærium noſtrum accedit, vel ſuper ipſum incedit, radiis ſuis meatus corporis aperit atque à centro ad circumferentiam humores ſpirituſque dilatat, quod quidem ad vigilias actioneſque conducit. Contra verò quando Sol recedit, omnia quaſi languescunt, coarctantur, & quieſcunt, quod naturali quodam ordine ad ſomnum & ἀνάπαυσιν jucundam nos invitat.

II.

Qui manè ac interdiu ſomno indulget, quando Sol mundusque excitat: ad multam verò noctem vigilat, quando natura quietem imperat, hic non tàm univerſo ordini, quàm ſibimetipſi repugnat: ideoque motibus contrariis diſtractus, dum natura modò ad exteriora expanditur, modò ad interiora uno eodemque tempore repellitur, toti corpori notabilem noxam obtrudit.

III. Vigi-

III.

Vigilia moderata mentem ſenſusq; recreat, reficit, erigit, acre alacreque ingenium parit & alit, motum decentem corpori advehit, ſenſibus ſtuporem, torporemque excutit, in corpus calorem æqualiter diſpenſat, cujus beneficio legitima & naturalis alimentorum concoctio ac digeſtio procuratur: excrementorum verò tarditas incitatur, funditur, eorumque tractio & expulſio promovetur, provehitur, expellitur.

IV.

Vigiliæ immoderatæ, præſcriptosque naturæ terminos tranſilientes, ſpiritus diſſipando, cerebrum exhauriendo, corpus attenuando, turbando, inflammando, ſiccando, ſanitati, ac vitæ plurimùm detrahunt. Nam ſanguineum hominis temperamentũ tranſmutant in melancholicum, faciem pallescentem, anilibusque rugis obductum, hominibus inducunt, maciem tabemque important.

V.

Vigilia modum excedens omnes facultates naturales infringit, concoctiones interturbat, crudorum ſuccorum ſegetem progenerat, ac introducit. Dehinc vitales atque

R ani-

animales vires attenuat ac proſternit: vitæ igitur peſtis exiſtit, tandemque mortis mater certiſsima.

VI.

Per ſomnum tempeſtivè ac moderatè ſuſceptum vires inſtaurantur. Utque vigiliæ immodicæ calorem ad exteriores partes protrudunt, coctiones viſcerum interrumpunt, & ſpirituum diſſipatione robur membrorũ enervant: Sic in ſomno ſanguis intrò fertur unà cum naturali calido, quod intus adauctum operationes partium feliciores reddit, unde laudabilis ſanguinis, qui theſaurus eſt vitæ, generatur ubertas.

VII.

Feſſos ſopor irrigat artus, laſſitudinem eximit, calorem nativum ad Centrum revocando & colligendo, virtutem, humorum alimentorumque coctioni ac retentioni intentam, unitamque magis ſiſtit, viſcera ipſa alit, meliorem habitum inducit; ſpiritus vividiores, vegetioresque membris ac ſenſibus ſuggerit, ac ſubminiſtrat. Unde ſapiens ſenex 6. Epidem. 5. aphor. 10. labor articulis & carnibus: cibus & ſomnus viſceribus conducit.

VIII.

Somnus largior conceditur, qui propter morbum diuturnum viribus ſunt exhauſti.

Nam

Nam ſomnus evacuationes nimias, ſive ſpirituum, ſive ſanguinis, ſive humidi radicalis emendat, bonaque deperdita reſtituit: hæmorrhagias, alvi profluvia, vomitus compeſcit, dolores mitigat, omnibus omninò membris ac ſenſibus, ut Deus placidiſſimus, veluti almam, ſuaviſſimam, molliſſimamque venerem affundit.

IX.

Proclivibus ad hydropem ſomnus etiam interdiu, tùm poſt balnea, tùm poſt purgationes conceditur, propter majorem exiccationem. Nam in exhauſtis calor nihil inveniens intrinſecùs, quod conficiat, ulterius ſiccat viſcera & partium exteriorum humiditates, quæ per ſomnum in attenuatis & ſiccatis magis abſumuntur.

X.

Effuſus, continens ac pertinax ſomnus ſenſum motumque torpedini ac inertiæ terreſtri alligat, Dromonem parat, calorem nativum enervat, ſtrangulat, ſpiritus obfuſcat, obſcurat, viſcerum virtutem extinguit, functionum officinis labem luemque, pituitoſarum ſuperfluitatum congeſtione, inculcat: hinc deſtillationes ac rheumatiſmos ꝓſeminat, univerſum corpus refrigerat, ſæpiùs, quaſi undarum illapſu, omnes facultates obruendo, ſubitaneam mortem accerſit.

Utque denſa & pluvioſa nubes coruſcantem ſolem: ita effuſa quies mentem, & ab hac prodeuntes actiones obnubilat.

XI.

A' cibo ad ſomnum illicò converſis, nec unius vel alterius etiam horulæ ſpatio vel cantando, vel confabulando, vel inambulando eundem declinantibus, ac vapores diſcutientibus, impletur caput craſſioribus fumis, qui occaſionem catharris, morbisque frigidis compluribus ſuppeditant. Ingeſtus namque cibus, quem ſtatim ſomnus excipit, in ſuprema ventriculi parte ſupernatans, ꝑbè concoqui nequit: neque enim ventriculus tùm poteſt arctè cibum complecti, quod ad bonam concoctionem requiritur: hinc copioſis vaporibus feneſtræ aperiuntur. Eo itaque tempore convenit audire & tractare inſtrumenta muſica, facetias & hiſtorias jucundas, ſermonesque cum amiculis de rebus lætioribus, donec cibus ſubſediſſe videatur, conferre, aut leviſſimâ exercitatione corpus dimovere.

XII.

Somnus etiam meridianus à ſanitatis & longævitatis tutelâ procul abeſt. Nam ut noxas inde provenientes, quarum complures ſunt,

ſunt,prętere am,& leviter duntaxat attingam, certè, præter exuperantiam humiditatum, quæ per corporis partes hinc inde prorepunt, & muſculis, tendinibus, articuliſque obtruduntur, dolores quoq; capitis excitantur, vitiatus color cutis ac faciei exhibetur (nam ſomnolenti phyſiognomia non difficulter cognoſcitur) ciborũ appetentia diurno ſomno, & potiſsimùm meridiano, plurimùm reſtinguitur, idque partim ob prohibitam reſolutionem, quæ prima eſt famis cauſa, partim propter ventriculi repletionem ex humiditatibus, orificium ejus relaxantibus, ac ſaturantibus.

XIII.

Optimus igitur & ſuaviſsimus ſomnus eſt nocturnus, quando nox naturali humiditate, ſilentioque animum in ſomnum deducens, abſolutam molitur concoctionem. Divites complures regulis noſtris, cum magno ſanitatis ac vitæ ſuæ detrimento, contrariantur, tùm in quibuſdam aliis, tùm etiam in ſomno, interdiu dormientes, noctu vigilantes, potum cibo præmittentes, tota die, nocteque multoties luxuriantes, ludiſque Venereis ſeſe defatigantes. Hinc ipſorum calor ſæpiùs abſq; evidentiore cauſa, morbo acuto interveniente, extinguitur.

XIV.

Somnus meridianus non obeſt, præſertim ſenibus gracilioribus, phthiſicis, morbo diuturno emaciatis, infantibus, itinere defatigatis, purgante Medicina debilitatis, tùm iis, qui præcedente nocte parùm vel nihil dormierunt. Utque ejuſmodi ſomnus minorem noxam poſſit accerſere, ſequentes obſervandæ ſunt conditiones: 1. ut ſit in conſuetudine: ex multo enim tempore conſveta, etſi deteriora fuerint, inconſvetis minùs moleſtare ſolent: dabis operam, ne licentia hæc, quæ multas continet exceptiones, anſam tibi peccandi præbeat, 2. ne ſtatim à ſumto cibo ineatur, quò vaporum impetus in caput inhibeatur. 3. ne depreſſe, ſed erecto nonnihil capite inſtituatur. 4. ne modum excedat. 5. ne tumultuoſa & ſubita ab ipſo, ſed lenior & modeſtior fiat expergefactio.

CAP. XXXV.

CAPUT XXXV.

De redundantia & inanitione, quæ vel brevitatem vel diuturnitatem vitæ conſtituunt.

MAxima pars ſanitatis atque incolumitatis vitæ, immò tota Medicina conſiſtit ἐν τῇ προσθέσει καὶ ἀφαιρέσει. Hinc enim definitur eadem, quod ſit πρόσθεσις τῶν ἐλλειπόντων, καὶ ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων: quique hoc optimè facit, optimus eſt Medicus. Quia niſi id, quod ſupervacuum eſt, tollatur, & quod defecit, adjungatur, redire ad naturæ ſtatum, in eoque conſervari natura noſtra nequit. Quare cum attentione ſequentes comonefactiones benignus Lector arripiet, animoque ſuo affiget.

I.

Evacuationes tùm alvi, tùm aliarum partium conſuetæ, niſi ordine naturæ procedant, arte procurandæ ſunt: ea ſiquidem eſt naturæ ratio & conditio, ut heterogenea, ceu corpori inimica, deturbare ac dejicere laboret, quæ ſi qualitate, quantitate, tempore, convenienter procedant, corpus ſeipſo levius, & ad functiones obeundas proclivius præſtant.

II.

Replere nobis neceſſarium eſt, hoc eſt, comedere ac bibere, cum corpus noſtrum continuo fluoris exitio ſit expoſitum. Hinc ex ingeſto cibo & potu redundant ſemper excrementa, quorum excernendorum curam habere nos decet.

III.

Repletio varia importat incommoda, ideoque ſupervacuorum, quæ in corpore noſtro coacervantur, vacuationes ſunt inter cauſas ſalubres ſive conſervantes ſanitatē & vitam numerandæ. Ipſorum namque retentio variorum & graviſſimorum morborum autor eſt.

IV.

Particularium partium evacuationes ſunt 1. oculorum, & aurium, è quibus lacrymæ & ſordes proveniunt: 2. narium, ex quibus mucus deſcendit: 3. oris ac palati, unde pituita & tenuis ſaliva promanat: 4. Ventriculi & ſtomachi, unde præter eſculenta & potulenta vomitu ſuperflua rejiciuntnr, inſuperq; pituita, bilis, & interdum ſanguis egeritur: 5. Thoracis & pulmonum, unde pectoris excrementa ejiciuntur, atque exturbantur. 6. Renum, unde arenulæ vel calculi

culi derivantur. 7. veſicæ, unde urina,& quę cum hac expelluntur, proſilit. 8. Cutis, per cujus poros ſudor & halitus, ſeu inconſpicua tranſpiratio diſpergitur, ac diſcutitur. 9. uteri, per quem menſtruus ſanguis educitur: 10. Venarum, unde ichoroſus vel melancholicus ſanguis prolabitur.

V.

Provida natura partes haſce mortalium generi communicavit, quibus nunquam carere poſſet, eaſdemq́; emunctoriorum vicē nonnunquam ſuſtinere voluit, quibus ad ſanitatis tutelam indigeret. Immò lactis è mamillis, ſeminis è vaſis ſpermaticis, ſanguinis è hæmorrhoidibus excluſio naturam fovet, ac levat.

VI.

Natura iſta, ſingulis membris inſita, nihil aliud eſt, quàm eorum virtus Expultrix, cujus beneficio agunt, & noxia ſegregant. Illa interdum eſt planè ocioſa, & retentrix cōtra validius agit: ignava igitur officii ſui à Magiſtro ſanitatis admonenda, repletio deplenda, excrementa ad motum inepta movenda, promovenda, excludenda.

VII.

Stimuli & calcaria Medicorum ſunt varia, quibus vel totum corpus, vel aliquas ſal-

tem partes ad excretionem ſuperfluorum ſtimulant atque irritant. Da mihi, Lector, te paucis, brevibus te volo, non profectò jacturam temporis jam feres, ſed uſuram ſuavioris ac diuturnioris vitæ. Philoſphum te profiteris? at quæ nobilior ſapientia, quàm ſui ipſius notitia?

VIII.

Excrementa diutiùs remorantia ac delitescentia provocamus:

1. Sanguinis miſsione, quam vel venâ ſectâ, vel cucurbitulis cum ſcarificatione adhibitis, vel ſanguiſugis, vel hæmorrhoidarum reſeratione, vel menſtruorum propulſione, vel venarum, quę in naribus ſunt, irritatione procuramus.
2. Purgatione ventris, quæ fit medicamentis purgantibus, quæ majorem infimi ventris partem à ſordibus ſuis, vitioſiſque ſuccis eluunt, & abſtergunt.
3. Sudore, qui vel per medicamenta ſudorifera, vel tegumenta, vel rerum calidiorũ applicationem, lapides ignitos, vel calefactos, ſacculos, veſicas bovinas, aquâ calidâ repletas, conclavia calefacta &c. perficitur.
4. Evacuatione inſenſili, quę tùm balneis ſiccis ſive Laconicis, tùm balneis humidis, & quidem vel naturalibus, quales Thermæ ſunt,

ſunt, vel artificialibus, quæ naturis ægrotantium pro intentione accommodantur: tùm etiam cucurbitulis absq; ſcarificatione adminiſtratis, item frictione, unctione, Cataplaſmate, fomentis, ſuffumigiis.

5. Inediâ, quæ & ipſa ex accidenti, ſubtracto nempe corpori alimento, q in abſumti nutrimenti locum cedat, vacuare & ſiccare ſolet. Fames enim magna vi pollet in hominis natura, tùm ſanandâ & conſervandâ, tùm debilitandâ, & deſtruendâ.

6. Vomitu, cujus beneficio ſtomachus & pulmones, impactam habentes, pituitam craſſiorem, egregiè ſublevantur. Vix n. alia ratione, pulmones præſertim, commodiùs exinaniuntur, quàm vomitoriorum ſumtione.

7. Enematibus, quorum certè magna vis eſt, tùm è propinquis, tùm è diſtantioribus locis noxia propulſandi, revellendi, atque exturbandi: tùm demulcendi ac ſanandi membra, & præſertim inteſtina exulcerata.

8. Glandibus ſive ſuppoſitoriis, quæ in anum protruſa, pigriores ac duriores feces ſtimulant atq; eliciunt, quæ aliàs mole ſua naturam gravant, qualitate verò tàm ventriculi

ventriculi facultatem dejiciunt, quàm cerebri ſpiritus offendunt: addo, quod eorundem ſuppoſitorium applicatione, certa vi inſtructorum, hæmorrhoidum fluxus prolectetur.

9. Diureticis, ſeu lotium moventibus medicamentis, quorum ſubſidio cacochymiæ & hydropes præcaventur, calculorum materia, adeoque ipſe calculus eradicatur, & mixta morborum colluvies cum urina ſeponitur.

10. Peſſariis ac infuſoriis, ſeu Metenchytis, quibus non tantùm uterus, ſed & veſica reſtituitur, & à redundantibus ſuccis, vel tenuioribus, vel coagulatis liberatur: diſlocatum reponitur, ſauciatum conglutinatur, defatigatum roboratur, amplum nimis arctiùs conſtringitur.

11. Apophlegmatiſmis, & errhinis: quorum priora per maſticationem, & fumi medicinalis attractionem, pituitam è cerebro deferunt, & per expuitionem excernunt: Poſteriora per ſternutationem è naribus cumprimis pituitam deturbatam proliciunt.

12. Medicamentis pectoralibus, quibus excrementa Thoracis ac pulmonũ, non quidem cum impetu, ſicut per vomitiva fieri ſolet,

ſolet, ſed remiſſiori expectorationis motu, ejiciuntur, vel p urinarios ductus nonnulla ſecedunt, per ſenſiles quidem meatus, nobis tamen idipſum non animadvertentibus.

13. Exercitatione, quæ contrarias cibo vires habet: nam alimento ſive cibo & potu repletur corpus, & inſtaurantur humores. Vice versâ labore & exercitatione humor è corpore diſſipatur: excrementitius quidem, ſi exercitium ſit moderatum; quod ſi limites transgrediatur, tunc vitalis quoq; ſuccus abſumitur ac deperditur.

IX.

Sciamus itaque evacuationem ritè adhibitam eſſe eorum, quæ præter naturam in corpore continentur, expulſionem; unde vita fovetur ac conſervatur diutiſsimè. Omnis enim vacuatio, intra modum conſiſtens, ſanitatis, ſi ultra, morborum ſemina concitat. Quæ ratio cumprimis literatis ac politicis ineunda eſt.

X.

Porrò ex ante dictis duplex Evacuatio eruitur: quædam univerſalis, quæ ab univerſo corpore materiam peccantem ſubtrahit: quædam particularis, quæ unam aliquã partem ſigillatim deplet. Quarum utraque

vel

vel naturalis eſt, & ſpontanea, lege naturæ, ſuperflua propulſantis, peracta: vel ſymptomatica, præter naturæ curſum inſtituta, cum videlicet natura obruta vel proſtrata adverſus morbidam materiam non inſurgit, hinc ſequitur ἀνεφορία.

XI.

Quædam vacuatio eſt artificioſa, quæ ab externo aliquo auxilio peragitur, & modò legitimè, modò illegitimè adminiſtratur: legitimè quidem, à peritis & rationalibus Medicis, illegitimè ab Agyrtis, Empiricis, qui ſunt Nebulones, & fures ſanitatis, itemq; ab aliis, & plebeiis, ac temerariis de tribu levi hominibus, qui ſine conſcientia miſeris ægrotis imponunt. Unde hypercatharſes, hæmorrhagiæ immodicæ, & alia infinita abſurda committuntur, ad quorum homicidiorum vindictam ſolum Deum invoco, te Deum, inquam invoco, tu ejuſmodi homicidas unà cum Magiſtratu connivente acriter punies; & ſic ſatisfeci meo officio, indicando periculum.

XII.

Salutaris ac proſpera vacuatio eſt, facta à natura juxta leges ſuas agente, purgatis iis, quæ purgari oportet: talis ſiquidem confert, eamq;

eamque corpus ægrum, vel à ſanitate deflectens, fert facilius. Quod ſi non convenientia purgantur, homo ex hac deteriùs habet. Sic etiam felix vacuatio, quam Medicus molitur, futura eſt, ſi ea eduxerit, quæ oportet: nam ad ſalutem cedet inſtituta purgatio, & ſequetur εὐφορία, ferendi facilitas, & tranquillitas. Intempeſtivam verò & illegitimam purgationem ſequitur δυσφορία, ferendi difficultas & inquietudo, ita ut vires exolvantur, & graviore cum moleſtia dejiciantur, abſque ullo morbi, vel materiæ vitioſæ decremento.

XIII.

Moderata vacuatio optimum repletionis eſt ſubſidium. Cum namque omnes morbi oblatione contrariorum curentur, certè repletio contraria eſt vacuationi, vacuatio repletioni: obſervanda igitur ἡ ἐναντίωσις. Et licet viribus evacuatio nonnihil detrahat, ea tamen offenſio levis eſt, ac momentanea, & illarum quantulacunque jactura facilè reſarcitur quiete, & congrua victus ratione.

XIV.

Plurimùm & repentè vacuare, vel replere periculoſum Hip. l. 2. Aph. aph. 51. cum Natura non abſq; noxa ſubitas mutationes ferat,

&

& nihil quicquam bonum ſit, quod Naturæ modum exuperat, ſive id multitudinis, ſive modi, temporisvè exceſſu fiat. Hinc nimia ſanguinis, aut alterius cujuſcunque humoris, immò etiam puris aut aquæ vacuatio ſpiritus abſumit, viresque corporis omnes magnoperè proſternit, ſive arte illa procuretur, ſive ſpontè naturæ perficiatur.

XV.

Si alvus plus nimio profluat, corpus aridum ac ſtrigoſum reddit, viſcera refrigerat, ſomnum minuit, inductâque cerebri ſiccitate memoriam infringit. Sin nimiùm aſtringatur & areſcat, calorem nativum, primarium animæ inſtrumentum premit & obterit: itaque excremen torum proventum gignit; hinc obſtructiones putredines, febre, alioſque affectus patit, craſſis, denſiſque humoribus ad cerebrum delatis, memoriam obnubilat, ſenſus obtundit, quandamque caliginem obvelat, ſomnia tumultuoſa concitat.

XVI.

Quibuſcunque vel podagricis, arthriticis, vel comitialibus, attonitis, Melancholicis &c. Venæ ſectio, vel purgatio ad imminuendam

dam ſcilicet repletionem & humorum abundantiam, neceſſaria eſt: hi Vere aut Autumno commidiſsimè purgantur, venaque ſectâ levantur: quò nimirùm morborum iſtorum inſultus prohibeatur.

XVII.

Repletio, πλησμονὴ trifariam accipitur: 1. de ingurgitatione cibi & potus facta, quæ vel vomitu, vel abſtinentia & fame vacuatur: aut 2. de plethora ſeu plenitudine, in qua immodica eſt redundantia ſanguinis boni, quæ nihilominus in gravia pericula hominem præcipitat (ſiquidem arcus nimiùm intentus frangitur) & proinde venæ ſectione abſque mora tolli debet. Aut 3. de cacochymia, quę eſt crudorum ſuccorum coacervatio, qui modò alteratione corriguntur, modò phlebotomia diminuuntur, modò purgatione per alvum & veſicam è corpore exterminantur.

XVIII.

Cum cibi ſuperant labores, repletio ſuccorum paulatim colligitur, & mucus narium, ſalivatio & deſtillationes fiunt. Præterea dolor, & artioulorum ἀτονία, carniſque torpor, tarditaſque repletionem comitatur.

 XIX. Fa-

XIX.

Facilius eſt potu, quàm cibo impleri: nam per alimenta liquida & potulenta minori labore jactura humidæ & ſpirituoſæ ſubſtantiæ reparatur, cum ea faciliùs alterentur & concoquantur, promtiùs quoque diſtribuantur, apponantur, aſſimilentur, quàm quæ ſunt ſolidiora. Hinc videmus in praxi, per ταχύτροφα illa, qualia ſunt vina odorata, juſcula, ſorbitiunculæ, expreſſa, colata, deſtillata &c. ſpiritus quàm optimè refici, & membra arefacta per gratam humectationem celeriùs recreari, ac reſtaurari.

XX.

Hinc etiam intemperantia tutior eſt in potione, quàm in cibo, licet nulla ſacietas utilis ſit unquam. Nimia quoque abſtinentia damnatur. Labor autem repleto corpori plus officit, quàm inani, quantumvis uterq; reprehenſionem mereatur. Poſt compotationes ſitim excedentes inediâ moderatâ corpus exiccandum, ne majore humectatione calor naturalis obtundatur, & crudum ſuper indigeſtum accumuletur.

XXI.

Tempore inediæ, deficiente ſcilicet novo

novo alimento, calor inſitus alacrior redditur, qui poſtmodum ſanguinem crudiorem magis magisque digerit, alterat, & immutat, inque partium ſubſtantiam tranſponit: at ſupervacuos humores, ad coctionem planè ineptos, per halitum diſſipat, vel certè iis aditum ad partium emunctoria præparat, exitum non intercludit, obſtructiones expedit, facultatique expultrici calcaria admovet.

CAPUT XXXVI.

De excrementorum varietate, & primò de Vrinis.

QUi μακρόβιος futurus eſt, is non modò maturum ſuperfluitatum ſeceſſum obſervabit, verùm etiam quantitatis & qualitatis rationem habebit, ut nimirùm talia prodeant, qualia oportet, in conveniente quidē copia, ut depoſitâ naturę ſarcinâ omnes partium operationes agiliores evadant. Quare ſequentia primùm de urinis in gratiam diſcentium ſubjiciemus.

I.

Cognitio qualiſcunque urinæ literatis potiſſimùm neceſſaria eſt, inde enim in cognitionem ſanitatis, & concoctionis haud obſcuram devenient.

Ubi igitur concoctio imperfecta & mutila apparuerit, ibiprimus gradus ad ægritudinẽ dabitur: immò nonnulli ſolâ urinâ valetudinis auguria haberi prodiderunt.

II.

Lotium, ſive urina, οὖρον, οὐρητὸν, οὔρημα, eſt materia potulenta, in alimenti vehiculum facta, in jecore & venis alterata, & permiſta à calore naturali, aut præternaturali, tandemque à renibus attracta, & in veſicam depulſa. Eſt autem urina materia potulenta, nec ſolummodò potus: nam multæ res ſumuntur loco cibi, quæ quidem potulentæ ſunt ut brodia, ſucci, ſorbitiones, ῥοφήματα, quæ ſimiliter in urinam convertuntur.

III.

Non omnis materia potulenta vel ſeroſa à renibus trahitur, ut urina tantùm fiat, ſed aliqua portio in venis, partim ad humectationem, partim ad deductionem ſanguinis per univerſum corpus, relinquitur, cujus inutilis portiuncula viciſſim convertitur in ſudorem.

IV.

Potus urinam ſemper quantitate æquabit, ita ut craſſitie & menſurâ nunquam potum urina ſuperet: aliàs enim reſolutio re-

num

num & totius corporis colliquatio metuenda, humidique radicalis abſceſſus.

V.

Quatuor omnium urinarum ſunt cauſæ: 1. Efficiens, eſt propria jecoris & vaſorũ temperies. 2. Materialis, eſt ipſamet potulenta materia. 3. Inſtrumentalis, vaſa ipſa, & jecur. 4. Formalis, propria urinæ temperatura. Cum igitur & temperatura jecoris & vaſa ipſa moderatè conſtant, cumq; materia potulenta ſine ullo vitio habetur, neceſſariò ſequitur, formam ipſius urinæ, ac temperaturam optimam fieri.

VI.

1. Urina colligenda eſt ad inſpectionem abſoluta concoctione: non n. urina quolibet tempore capta, ſed poſt coctionem excreta, inſpectioni, ſubjicienda: quæ namque urina ante coctionis perfectionem offertur, colore ſpoliata apparet, propterea ꝙ calor jecoris materiam potulentam nondum alteravit, nondumque permiſcuit quicquam. Quæ v. abſoluta concoctione conſideratur, ea propriis coloribus & accidentibus induta eſt.
2. Tota urina, unica vice emiſſa, contemplationi offerenda, & non pars, ne con-

tenta invicem divulſa incertum judicium exhibeant.

3. Urina ultra multas horas non aſſervanda, alterantur enim contenta, & aliter occurrunt, quàm naturæ diſpoſitio prius eadem moderabatur.

4. Non pronunciandum de urina, niſi probè in matula vitrea reſederit, & unumquodq; contentum ſuum peculiarem locum occupaverit.

5. Urina inter portandum non vehementer agitanda: nam contenta concuſſa transponuntur, & bullæ rumpuntur.

VII.

Colorem urinæ mutant, & incertiùs de ea judicium reddunt. 1. Cibus ingeſtus. 2. potio. 3. Colliquatio eorum, quæ in corpore ſunt: horum namque colorem nonnunquam aſciſcit. 4. ſexus & ætas. 5. labor & exercitia, otium, quies, 6. ſomnus, 7. vigiliæ, 8. jejunium, 9. Coitus, 10. Mœror & ſolicitudo. 11. Temperamentum.

VIII.

Optima urina eſt 1. colore ſubaurea & ſubcrocea. 2. Subſtantia talis urinæ eſt inter

tenuem & craſſam media 3. Quantitas proportione potui reſpondens: 4. matulæ non adhærens. 5. Cum hypoſtaſi alba, levi & æquali.

IX.

Color ſubaureus vim ſapit caloris proprii ac naturalis: quia cauſa effectrix effectum ſemper ſibi aſſimilare ſtudet: ea verò cum nihil aliud ſit, quàm facultas, in temperatura conſiſtens, ſine dubio eandem quoque temperaturam in urina conatur producere.

X.

Urinam tenuem à virtutis alteratricis imbecillitate ortum ducere conſtat. Cum enim calor nativus jecoris materiam potulentam quibuſdam accidentibus tantummodò exuat, nec eam alterare, vel potenter afficere poſſit, tenuitas urinæ relinquitur. Nam ut Ariſtoteles aſſerit, ea quæ coquuntur ſemper fiunt craſſiora: hinc urina tenuis ſignum eſt cruditatis: quæ tamen tenuitas etiam propter obſtructionem vaſorum accidit, per quę transcolatur. Addo immodicam potionem, quæ hujus tenuitatis cauſa eſt.

XI.

Craſſa urina itidem culpanda eſt, cum flatus ipſi permiſcentur, qui ambientis frigore in humiditatem condenſati craſſitiem urinæ obducunt: vel craſſeſcit ex admiſtione craſſorum corpuſculorum factâ à calore naturali vel præternaturali. Mediocritas verò cùm ſit extra noxam, mediocris urinæ color ſanitatem pollicetur.

XII.

Quantitas verò urinæ aſſumtis potulentis reſpondeat. Licet enim nonnihil de iſto humore per ſudorem diſſipetur, & nonnihil etiam à calore & ſanguine imbibatur & exugatur, illud tamen exiguum eſt, & à cibis humidioribus ſatis humidi partibus & ſanguini accedit: quamvis negari non poſſit, bibulos indefinenti humectatione ſanguinem ita irrigare, ut potius pituitam, quàm verum ſanguinem oſtendant.

XIII.

Urina optima eſt tàm in ſanis, quàm ægris, in qua per omne tempus ſubſidet album, leve & æquale: λευκὴ ἡ ὑπόστασις, καὶ λείη, καὶ ὁμαλή· σημαίνει γὰρ ἀσφάλειαν καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον. At ſi intermittat, interdum pura, interdum

terdum cum ſedimento albo & levi apparens, diuturnior & minus ſecurus morbus evadit: Significatur enim, venas nonnihil coctum, aliud incoctum continere, morbumque naturam ſuperare.

XIV.

Ob hanc cauſam ſedimenta fiunt alba, levia & æqualia: licet namque nativus calor eam materiam in ſanguinem nequeat convertere: poteſt tamen ad unam formam redigere, eoque colore inficere, quo ſunt vaſa ipſa, ſive vaſorum tunicæ: ideoque hoc nomine etiam relinquuntur alba, cum potus ſit de natura aquæ, hæc verò albicantem naturam habeat: addo quod inter omnes colores ſedimentum album prædominetur ac præſtet.

XV.

Cæterùm hypoſtaſis urinæ ſit levis, id eſt continua, & non diſperſa. Inſuper æqualis, id eſt, ſingulis ſuis partibus ſimilis ſibi, non aſpera, quæ huc & illuc divellitur. Ejuſmodi ſedimentum, in morbis diu perdurans, ſecuritatem morbi prædicit. Periculum verò, vel certè diuturnitatem, ſi quis hodiè inculpatè, cràs & ſequenti nocte culpatè minxerit. Nam victoria inter duos æquales Antagoniſtas

tagoniſtas differtur, caveat is, qui viribus inferior eſt, & defatigatur: nam tandem ſuccumbere cogitur.

XVI.

Pauca hypoſtaſis in hominibus ſanis deſignat 1. inediam: ſi enim conveniens nutritio defecerit, deficient etiam ſuperflua: vel 2. exercitationes, per quas attenuantur ſuperfluitates, & per occultas evaporationes tranſcendunt, & ſic pauca relinquuntur contenta. 3. Obſtructiones, quia ſola tenuia tranſeunt, & craſſa remanent. 4. Concoctionis tarditatem, nam calor remiſſus non devolvit illa, multò minus aggreditur.

XVII.

Copioſa hypoſtaſis in ſanis ſignificat nutrimentum multum, quo præſente redundant iſtius reliquiæ: Significatur etiam virtutis robur, qua vigente, viget ipſa concoctio & feliciter procedit, tandemque ſuperflua, quæ tamen nondum ſunt morbi materia, cumulantur.

XVIII.

Sicut pauca hypoſtaſis concoctionis tarditatem ſignificabat: ita etiam ſubſtantia tenuis debilitatem caloris nativi in tertia

conco-

concoctione denotat, propter frigiditatem, cujus obſtaculo contenta ad mediocritatem pervenire non poſſunt. Deinde etiam eâdem tenuitate crudorum humorum attenuatio obſervatur, roboratâ genuinâ caliditate.

XIX.

Contenta, quæ tenuia cernuntur ex caloris augmento, citò elevantur, ſi modicè matulam agitaveris. Sed non facilè aſſurgunt, quæ ex caloris debilitate proveniunt. Hinc contenta in diuturnis morbis excreta non tantùm tenaciter adhærent matulæ, ſed etiam prorsùs immota ſubſident, ac in fundo ſegniter deliteſcunt.

XX.

Craſſiora ſedimenta teſtantur crudorum humorum in venis manentium amputationem. Talis ſæpè apparere ſolet in principio & augmento febris, & quidem ſæpiùs, liquore urinæ improbum colorem repræſentante. Hîc falluntur non raro & ipſi artifices, dum exiſtimant, hypoſtaſin bonam eſſe, quod alba ſit, ſed non animadvertunt, quod ſit inæqualis, & non levis, item viſcida, & mucoſa.

XXI. Ca-

XXI.

Cæterùm craſſiora ſedimenta præſagiunt ſequeſtrationem criticam, propter robur facultatis expultricis, quæ in criſi excrementa excernit. Idq; crebrò fit poſt ſtatum & vigorem morbi, niſi adfuerit calor urinæ improbus. Tandem craſſa hypoſtaſis ſecundæ coctionis cruditatem arguit.

XXII.

Multa urina in hominibus ſanis oſtendit exuberantem potionem, ciborum humidiorum uſum, & præſertim multorum juſculorum item ventris excretionem paucam: medicamentorum diureticorum uſum nimiũ: Ciborum denique crudorum aſſumtionem.

XXIII.

Copioſa urina in ægris innuit: 1. renum calorem nimium, 2. ſuperfluitatum ſegregationem criticam, qualis ſæpè in febribus tertianis profluit. 3. corporis colliquationem, ut in maraſmo vel juvenili, vel ſenili. 4. ægritudinis terminationem in melius. 5. Ventris vel alvi ſiccitatem. Sic & in acutis morbis ſolutionem lætam prædicit, interdum periculoſam morbi tranſpoſitionem in hecticam, vel convulſionem certè minatur.

XXIV.

XXIV.

Pauca urina deſingat 1. diætam ſicciorem, 2. ciborum tenacium, & craſſorum uſum 3. Obſtructiones. 4. Ventris evacuationem multam. 5. Vehementiam febris: 6. læſionem vaſorum urinalium.

XXV.

Urinæ ſuppreſsio declarat veſicæ imbecillitatem, ea, quæ continentur, expellere non potente. 2. inflammationem. 3. tumorem, propter meatum anguſtiorem redditũ. 4. Obſtructionem, vel ob ſanguinis grumos, vel ob craſſum humorem, vel lapidem, vel pus, quod ab epate, renibus, vel alio inferiori membro propulſatur, & in veſicam, vel ureteres decumbit.

XXVI.

Urinæ ſuppreſſio in hominibus ſanis accidit aut ob negociorum importunitatem, ut in concionibus, vel foro judicatorio: aut in conviviis, quod tamen valetudini maximoperè obeſt: aut in ſomno: quæ tamen diutiùs ſuppreſſa & cohibita vim veſicæ frangit & imminuit, ex immodica videlicet repletione vel tenſione.

XXVII.

Contenta dividuntur tripliciter 1. quod in

in ſumma ſuperficie innatat, dicitur νεφέλη, nubecula. 2. quod verò in fundum matulæ ſecedit ac deſcendit, ὑπόστασις nuncupatur. 3. Quod tandem æquis ſpatiis ab utriſque diſtat, & in medio altitudinis conſiſtit, ἐναιώρημα vocatur.

XXVIII.

De hypoſtaſi ſuperiùs dictum eſt: de Enæoremate & nube pauca delibanda reſtant. Et quemadmodum ſubſidentia, quæ ad fundum matulæ ſedere videtur, diſpoſitionem membrorum in infimo ventre ob oculos ponit: ſic in ſublimib. temperiem dignoſces adeſſe per partes corporis, ſimili poſitione notatas, habita ſcilic. proportione totius altitudinis urinæ erga corporis altitudinem: & ſic per conſequentiam pulmonis, thoracis & cordis temperaturam cognoſces.

XXIX.

Quod verò leve tenueque tertium contentorum locum occupavit, non mediocrem capiti læſionem adeſſe ſignificat, habens rationem inter contenta nubium: Alba enim & ſpumoſa nubecula in febribus bilis effervefcentis copiam ſuggerit, & ſæpè mortis periculum minatur.

XXX.

Spiritus, qui cum urina excernitur, ſi tenuis

Google

tenuis fuerit, & quantitate mediocri, bullas quaſdam inflat in urinæ ſuperficie, mox autem, refrigeratâ urinâ, diſſipantur.

Quædam bullæ non evaneſcunt, ideoque in morbis calidis æſtum jecoris indicant, doloresque capitis, & vigilias immoderatas. In frigidioribus morbis & remiſſioribus urinæ coloribus diſpoſitionem capitis aſtruunt. XXXI.

Bulla nihil aliud eſt, quàm tenue quoddam ac rotundum corpus, apparens in aliquo humido, ex quo efficitur ſpuma. At ſpuma nihil aliud eſt, quàm aggregatū aliquod ex multis bullis Materialis ſpumæ cauſa eſt humor viſcoſus, & ſpiritus craſſus. Cauſa efficiens & proxima eſt concurſus iſtarum materierum, & confractio, cujus confractionis cauſa eſt motus & calor. Motus eſt cauſa proxima efficiens; cauſa formalis eſt extenſio materiæ viſcoſæ, facta à ſpiritu incluſo: & ubi is non poteſt exhalare, ibi ac intumeſcit ac intenditur illa materia.

XXXII.

Eſt igitur ſpuma extenſio humidi viſcoſi à ſpiritu craſſo, propter agitationem factā à calore vel motu. Apparet in ſuperficie, quia ſublevatur à ſpiritu, eritq; vel bona vel, mala; pro ratione ſubſtantiæ urinæ.

XXXIII.

XXXIV.

Spuma ſæpenumerò indicat caput catarrhoſum, præſertim ſi ſpuma ex craſſioribus bullis aggregata conſpicitur. Magna eſt diſputatio, an venæ participent de cerebri catharrhis,&an venæ poſſint materiam iſtam phlegmaticam deſcendentē abſorbere,attrahere, fovere, atque à calore ſic agitatam poſtea in urina exhibere. Certum mihi judicium de capite multoties bullę ſuppeditârunt: de altero dubio jam non locus diſputandi.

XXXV.

Sæpè vel in certis urinæ regionibus, vel in toto corpore urinæ flocculi videntur; hæ vel fluxionem in ſupremis, vel in mediis, vel in infimis partibus in utroque ſexu denunciant. At capilli in urina vel ciborum craſſorum uſum, vel vehementem renum caliditatem teſtantur. Reliqua de urina lubens prætereo: ſufficit hæc doctrina ſuccincta pro ſanitatis Studioſis.

CAPUT XXXVII.

De fecibus alvi, quarum contemplatio μακροβιοφίλοις *plurimùm conducit.*

HOmines quidam inſulſi, ſine dubio βραχύβιοι aliàs futuri, Medicos εὐσχήμονας injurioſo titulo exagitant, appellantes ipſos σκατοφάγους. Verùm hoc nomen iis potius competit ægrotis, qui promiſcuè omnis generis craſſiora & impuriora medicamenta, à ſordibus ſuis nondum depurata, devorant. Deinde potiſſimùm quadrat in eos, qui peſtis tempore non tantùm urinas proprias bibunt, ſed etiam varia animalium excrementa, propriasque feces degluriunt, quò nimirùm à peſtifero morbo immunes evadant. Hi profectò revera ſunt σκατοφάγοι, κοπροφάγοι, οὐροπόται: quaſi verò medicamentorum meliorum copia non ſuppeteret: porci ſunt tales & canes, qui non tàm ſuis quàm alienis delectantur ſordibus: ne me invites ad convivium: tibi equidem non invideo, fruaris abundè iis ad ſacietatem. Ante triennium Agyrta quidam Annæbergæ erat, qui urinas ſibi oblatas deguſtabat, & ſic aliquam benevolentiam captabat. Sed quid ni hauris ex ipſis fontibus, relictis rivulis, antequā ſpiritus evaneſcant?

Cæterùm hæc doctrina ſordida non eſt, cùm excrementa alvi maxima ſint ſanitatis & ægritudinis indicia. Immò ſi compararemus notitiam hanc notitiæ urinarum, non parùm ipſam antecedit: illa ſiquidem ſolummodò jecoris, & venarum, indicat ſtatum; hæc verò non modò jecoris & venarum, ſed etiam ventriculi, inteſtinorum, adeoq; totius alvi diſpoſitionem aperiunt. Ideoque pauca de his in gratiam literatorum proponenda duxi.

I.

Alvus nos interdiu ſæpiùs interpellat inſtar creditoris: immò omnes fermè labores propter alvum ab homine ſuſcipiuntur, & extrema maris littora navigantur ob alimentum, quod cum foveat multas partes rebelles, quæ in animalis ſubſtantiam converti nequeunt, reliquias ſuas in inteſtina deponit, & à natura ſeparat.

II.

Hinc apud Hippocratem & Ariſtotelem feces alvi vocantur διαχωρήσιες, διαχωρήματα, ὑποχωρήσιες, ὑποχωρήματα, ξηρὰ περιττώματα: apud Galenum & alios præter dicta nomina inveniuntur: κόπρος, ἀπόπατος, ἀποπάτημα, ἄφοδος, σκύβαλα, apud Suidam πέλεθος & σπατίλη Apud Latinos: ſtercus, feces alvi, onera alvi, egeſtiones, & dejectiones.

III. Stercus

III.

Stercus eſt pars terreſtrior, expurgamentumque alimenti inutilis, vel ciborum, in concoctionis, digeſtionisvè conſummatione diſcretum, aliis rebus ſæpè commiſtum: nam quotidiè à veſicula fellis ad inteſtina bilis mittitur, quæ excrementis permiſta, virtutem inteſtinorum expulſivam proritat.

IV.

Stercoris generatio inchoatur in inteſtinis ſublimibus, conſumratur verò in extremis, quæ licet ſuſcipiendis ſtercoribus potiſſimùm dicata ſint, tamen & ipſa in orbes, gyros & circumvolutiones varias inflectuntur, ut venulæ meſaraicæ inde exugant, quod reliquum eſt, ſucci alimentalis, qui fortè unà cum fecibus eò deſcendit, prætergreſſus nimirum ſuperiorum inteſtinorum venulas.

V.

Non ſolùm qualitas excrementorum alvi, ſed & illorum conſiſtentia, num ſcilicet ſolida, an liquida ſint, expendenda venit: nec non eorundem color, num pallida, rufa, livida, vel nigra ſint: hinc enim valetudinis ſtatum dignoſcere licet.

VI.

In ſpontaneis & à natura factis alvi profluviis variæ humorum ſpecies evacuatæ laudantur, propterea quod corpus vario excrementorum pondere levetur, unde calor inſitus quaſi rejuveneſcit, humidum radicale depuratur, & vita in plures annos protenditur. Sed in colliquatione, febribus & aliis affectibus periculoſis, varii coloris dejectiones ſua ſponte confertim prodeuntes, unde nulla tranquillitas ſequitur, plerumque ſunt malæ: meliores verò, ſi cum εὐφορίᾳ ægroti, & à pharmacis tales egerantur.

VII.

Feces alvi redduntur craſſæ, ex optima ventriculi coctione, nec non ex actione moderata caloris inteſtinorum, cujus actiones ſunt congregare & incraſſare. Frigus v. potius feces durat, non per ſe tamen, ſed per accidens, quando à frigore calor recluſus & reflexus augetur, auctus conſumit humiditates, feceſque ſiccat & indurat. Sic qui ſunt κακοςόμαχοι, ſiccas & induratas feces cum moleſtia & dolore excludunt.

VIII.

Liquida ſtercora fiunt 1. ex venarum meſaraicarum obſtructione, unde nobilior chyli portio non arripitur, ſed aſſervata in

fecum

fecum materiam degenerat. 2. ex cruditate, quæ optimum quoque ſuccum inquinat, inque ſui conſenſum adducit, unde interdum non alteratus relinquitur, ut in lienteria: vel planè corrumpitur, ut in nidore. 3. Ex infirmitate meſaraicarum, ſuccum chyloſum non attrahentium, qui relictus ſtercora liquida progignit: 4. ex defluxione humida capitis ad inteſtina, idque ſæpiùs obſervavi in ægrotis, quibus caphalica propinavi pharmaca, unde major excretio, quàm pro virtute Pharmaci, propter lubricitatē inteſtinis fecibusq; inductam, ſubſecuta eſt. 5. Ex qualitate ciborum & diæta humectante, ut ſunt pruna, poma, ſorbitiones, pulticulæ &c. 6. Ex converſione potus ad inteſtina: hinc ebrioſis alvi fiunt liquidæ, teſte Ariſtot. 3. problem. 5. 7. Propter vermes.

IX.

Molles feces efficiuntur 1. ex moderata inteſtinorum humiditate, quæ ſtercoribus communicatur. 2. Ex cibis emollientibus. 3. Ex permiſtione diverſorum humorum, vel aliunde procumbentium, v. gr. ex toto corpore, vel è ſolis hæmorrhoidibus: nam hæmorrhoides non ſolùm ſanguinem vehunt, ſed ſæpius humores ichoroſos. 4. Ex permiſtione pinguedinis, ut in iis, qui tabe

conſumuntur, videre eſt, hi enim perpetuò ſunt molli & lubrica alvo. Læſa eſt etenim retentrix facultas, unde ſtomachus, cui multa pinguia offeruntur, facilè erumpit in vomitum, & ingeſta alimenta ſinit elabi.

X.

Duriorum ſtercorum cauſa eſt: 1. calor immodicus ex labore, balneis, aëre æſtivo, unde abſumta humiditate ſtercora indureſcunt. 2. Provocatio urinæ, unde feces ſicceſcunt: 3. Calor abundans, vel igneus epatis, vel totius corporis. 4. Qualitas ciborum, aſtringendi facultate præditorum, ut ſunt pyra toſta, ſylveſtria, panis vetuſtior, caro & piſces fumigati: 5. mora longior fecum in inteſtinis, unde venulæ magis exugunt humidum inhærens. 6. Sicca corporis & inteſtinorum intemperies. Sic poſt validas purgationes feces facilè dureſcunt, nam partes arefactæ gaudent humectatione: ſic terra prorſus arida imbrem facilimè imbibit.

XI.

Hominum ſtercora peſſimè olent, ſiquidem cibis variis ac multis utentes malè iſtos coquunt: ſicut ex adverſo animalia ſylveſtria feces minus fœtentes edunt, tùm quia ſimplici cibo veſcuntur, tùm quia multum exercentur.

centur, unde humiditate magis abſumtâ ſicciora excrementa minùs fœtent, Magis quoque fœtent hominum ſtercora, ex uſu lactis, porri, cœparum &c. Item propter alicujus viſceris putrefactionem, & humorum corruptionem.

XII.

Diſſimilitudo & varietas ferculorum fecibus inducit graviorem fœtorem, ratione putrefactionis cum alimentorum quædam citiùs, quædam tardiùs concoquantur. Quæ enim priùs prælibari debuiſſent, poſtremò comeduntur: hinc dura mollibus aditum, viamque intercludentia, tardiùsque quàm par eſt, à calore evicta, putredini occaſionem præbent.

XIII.

Stercora celeriùs, quàm par eſt, educuntur: 1. Propter ciborum copiam, qua gravatus ventriculus, & inteſtina celerem petunt exonerationem: 2. ob ciborum acrimoniam, qua ſtimulantur inteſtina, fecesque citò deponere nituntur. 3. Ob humorum acrium, mordaciumque permiſtionem, quæ ſtimulo quodam vim expultricem inteſtinorum citò proritant. 4. Ob ciborum mollitiem. 5. Propter robur expultricis.

XIV.

Dejectiones tardiùs egrediuntur: 1. ob tarditatem digeſtionis chyli. 2. ob expulſivæ facultatis imbecillitatem, quæ potiſſimùm ab intemperie frigida promanat: 3. ob cibum aſtrictoriâ vi pollentem. 4. Ob ciborum paucitatem. 5. Ob hebetudinem inteſtinorum, ac duritiem, quæ onus ſuum difficulter deponunt. 6. Ob flatus, qui exitum dejectionibus intercludunt. 7. Ob ulcera, quæ ſimiliter ſeceſſum prohibent.

XV.

Saluberrimum eſt, ſi matutino tempore natura à dejectionum ſarcinâ levetur; remorantes enim laſſitudinē corpori conciliant, menti ſtuporem affricant, ventriculi tenorem relaxant. Quod v. excrementorum alia manè, alia veſperè, alia interdiu, alia noctu dejiciantur, fit vel ex conſuetudine, vel ex motione corporis, vel vehementibus animi motibus, vel ex caloris diverſitate, & diverſa ipſius actione contingit.

XVI.

Stercora cum dolore exeuntia vel duritiem & craſſitiem fecum deſignant, vel hæmorrhoidas tumentes, aut inteſtinum rectū quocunque modo læſum: vel mordacitatem & acri-

acrimoniam alicujus humoris ſimul delabentis: vel copiam flatuum, qui membranas inteſtinorum diſtendunt.

XVII.

Sanguineorum ſtercora ſunt compactiora, fœtida & multa. Biliosi multas & ipſi reddunt feces, ſed magis flavas, & liquidas. Pituitoſi ſubalbicantes, liquidas, & flatulentas excernunt. Melancholicorum ſtercora nigriuſcula, pauciora, ſicciora apparent, flatibus plena.

XVIII.

Pueri multa ſtercora reddunt ob voracitatem, vermibus ſæpiùs oppleta, celeriter, ſuntque ſubalba, mollia, & liquida. Senum feces ut plurimùm ſunt molles, albæ, paucæ, egerunturque paulatim, propter vim expultricem, tractu temporis debilitatam.

XIX.

Quoniam ſtercora & egeſtiones declarant conſtitutionem ventriculi, inteſtinorũ, meſaraicarum, & jecoris, ideoque notas ſanitatis inde deſumimus. Itaque ſanorum hominũ feces 1. ſint continuæ, æquales, unitæ, ſine flatu, ſine alterius corporis miſtione. 2. ſint molles, & ſiccum humido ita permi-

ſtum, ut partes aqueæ & terreæ non ſint ſeparatæ. 3. Ut earum conſiſtentia ſit inſtar mellis, in ſua conſiſtentia congelati, id eſt, neq; ſint nimiùm duræ, ut lapides, nec fluidæ. 4. ut citra difficultatem, moleſtiam, vel compreſsionem ſecedant. 5. Ut omni mordacitate careant, 6. Ut ſint colore pallido. 7. Ut neque ſint admodùm fœtidæ, neque omnis fœtoris expertes: nam immodicus atq; enormis fœtor magnam denotat corruptionem, niſi à robore naturæ dejectiones ejusmodi expellantur: aut à ciborum quorundam qualitate fecib. impreſsâ: perexiguus ſiccitatem nimiam, aut pravam digeſtionem, vix inceptam. 8. Exeant ſine ullo ſtrepitu & crepitu. 9. Sint ſpumæ expertes. 10. Exeant horâ ſolitâ ſanitatis, & poſt abſolutam concoctionem dejiciantur. 11. Sint in quantitate cibis analogæ: 12. ſecedant citra moram longiorem.

XX.

Craſſa ſtercora bonam ventriculi coctionem, & meſaraicarum bonam attractionem denunciant: in morbis verò ſalutem, ſi præſertim fiant poſt ventris fluxum. Liquidæ & aqueæ feces, niſi à cibis vel medicamentis tales fiant, ſemper malæ ſunt, quia vel ventriculi, vel jecoris, vel meſaraicarum, vel capitis imbecillitatem declarant, niſi ejuſmodi devolvantur ob criſin, aut in ſenectute.

XXI. In-

XXI.

Inæqualia & aſpera ſtercora indicant debilitatem coctionis, quæ cum æqualiter non fiat, ſequitur, ut aliquæ partes crudæ, & duræ remaneant, aliæ verò magis coctæ. Cerevisia recens & nondum probè defecata ſæpè fluxum diarrhæticum concitat, unde inæqualia ſtercora excernuntur, & vi quadam, nondum juſtam conſiſtentiam adepta, protruduntur.

XXII.

Stercora per criſin prodeuntia, ſine vento, laſſitudine, vigiliis, & paulatim educuntur: quæ verò fiunt ex debilitate, frequenter cum vento ſonoro, laſſitudine, & vigiliis dejiciuntur. Spumoſa ſtercora (niſi ſint ab extraneo calore, aut à flatulentis cibis, aut à pituita ſpumea à capite in ventriculum, dehinc in inteſtina delabente) mala ſunt, cum ebullitionem & colliquationem oſtendant.

XXIII.

Aluus fuſa in juvenibus melior eſt, in ſene verò aſtrictior magis laudatur, in Senibus etiam Podagræ non curantur, ſi negligenter vivant, & aſtrictam alvum habeant. Sæpè verò liberantur, ſi à diſenteriis, & aliis eliquationibus tententur.

XXIV. Va-

XXIV.

Varia ſtercora à medicamentis legitimis dejecta, quò magis ſunt diverſa, eò feliciora ſigna præbent: nam ſalutem poſſunt prædicere. At in acutis morbis quò magis diverſæ,& coloratæ ſunt ſpontaneæ dejectiones, eò deteriores habentur, cum ſic quidem varii humores excernantur, ſed nihilominus complures adhuc relinquantur, quos natura debilitata vix regere poterit.

XXV.

Quæ paulatim,& inſtar σκυβάλων, ſeu caninorum ſtercorum, vel pilularum more educuntur, in hominibus ſanis nihil boni declarant: nam feces nimiùm ſiccantur, virtute expulſiva debili exiſtente.

Qui verò ſeſe in ſtercore ſomniant volutari, indicium eſt, eos multis vitioſis ſuccis onerari; Vel quód ipſorum inteſtina multo ſtercore repleta ſint. Poſſunt etiam læſionem præclaræ famæ præſagire.

CAP. XXXVIII.

CAPUT XXXVIII.

De ſudore, cujus excretio, prout fuerit inſtituta, vitam vel diu conſervat, vel eandem labefactat.

QVanquam cutis omni ex parte continua videtur, eſt tamen multis in locis perforata, quorum meatuum quidam ſunt conſpicui, quidam oculorum aciem effugiunt, & vel immittendi aliquid in corpus, vel emittendi gratia ſunt comparati. Per occulta verò foramina tàm ſudores, quàm fuliginoſi vapores permeant: ubi enim tenuiora reſultant excrementa, ibi meatibus amplioribus, per quæ illa tranſeant, opus non eſt. Qui igitur vitæ & ſanitatis conſervatione gaudent, pauca de ſudore quoque cognoſcent.

I.

Sudor eſt portio materiæ potulentæ in jecore alteratæ, & ſanguini pervehendo per venas à natura transmiſſa, ac demum ex venis ipſis per meatus occultos expulſa.

II.

Cauſa ſudorum naturalium effectrix eſt calor, cui admixti ſunt plurimi ſpiritus, qui

venas

venas ingredientes agitant ſerum, & cum quærant locum in venis, ſerum ipſum expellunt. Licet in ægrotis ſudor ſine calore ex imbecillitate virium provocetur, cum ob debilitatem retentricis ſerum intra venas contineri nequeat.

III.

Quibus hominibus rara,& crebris exilibusque ſpiraculis pervia eſt cutis, ab internis ſuperfluitatibus minùs afficiuntur: quib. verò dura denſaq; cutis eſt, quia fumidis vaporibus exitus denegatur, hi facilè læduntur, & febribus ſunt obnoxii.

IV.

Copia ſudorum vel fit 1. ob cutis raritatem, quæ facilem humori permittit tranſitum, hinc copioſiùs ſudamus in æſtate, quàm in hyeme, cum calor magis aperiat poros, frigus verò conſtringat: vel fit 2. ob excrementitiarum humiditatum abundantiam: vel 3. propter humoris tenuitatem: vel ob debilitatem virtutis retentricis.

V.

Inopia ſudoris fit vel propter humidi excrementitii, ſive humidi potulenti inopiam:

am: hinc ſenes modicè ſudant, partim propter ariditatem & aſtrictionem cutis, partim propter internorum membrorum, quæ humidum depaſcunt, ſiccitatem. Vel fit propter humidum craſſum & glutinoſum, cui anguſtiores cutis meatus transgreſſum non concedunt, hinc Cachectici difficulter ſudant. Vel fit ob magnam corporis caliditatem, quæ diſſipat & abſumit humiditatem.

VI.

Qui nocturno tempore crebriùs ſudant, niſi ſudores à calidiore aëre vel fomentis calidioribus eliciantur, ij vel immoderatè vixerunt in potu, vel abundant multis ſuperfluitatibus, vel ad tabem proni ſunt. Potus namque nimius non tantùm copioſam urinā producit, ſed etiam ſudoris abundantiam, cum Renes non omne humidum poſſint attrahere, & pars quædam hinc inde per venas diſſeminetur. Si impuritas major in venis latet, ejuſdem ſæpè pars per poros diſcutitur, id quod criticæ expulſiones in febribus teſtantur. Deterrimi verò in ſanis ſunt ſudores, in quibus timetur phthiſis, cum radicale humidum diſpergatur, & virtus retentrix partium languida ſignificetur.

VII. Su-

VII.

Sudorum calidorum cauſa vel eſt: 1. motus vehementia, unde corpora incaleſcentia humores calidos protrudunt: vel 2. internus corporis ardor: vel 3. bilis permiſtio, vel 4. concoctionis vigor. At frigidi ſudores fiunt ex copia humorum crudorum, & frigidorum, vel propter extinctum ferè calorem, ſi præſertim ex aliquibus tantummodò partibus ſudor promanaverit: vel certè ob calorem oppreſſum, ut in Lipothymia.

VIII.

In biliofis ſudores magis fiunt acres, in nonnullis amarulenti, acidi, & ſic ſapores varii juxta permiſtionē humorum, ſudorib. impertiuntur. At ſudor ſine odore optimæ concoctionis ſignum eſt: nam fœtor putredinem & pravorum humorum miſcelam ſapit, pravamque concoctionem, cum incocta facilè putredinem & fœtorem contrahant.

IX.

Sudor plerunque ſanorum ſcilicet hominum, colorem pallidum repræſentat: quoniam ſerò aliqua portiuncula bilis commiſcetur, unde pallidus color facilè emergit, non aliter ac modicum croci copiam aquæ tingit. Sudorem colore pallido tinctum demonſtrant induſia, quæ quò diutiùs corpori ad-

adhæſerint, eò craſſiorem pallorem oculis ſubjiciunt. Præterea ſanorum ſudor ſalſus quodammodò deprehenditur: nam dulce alimentum convertitur omne in nutritionē partium: pars verò terrea & inutilis tranſit in urinam, lacrymas, ſudores. At in ægris ſapor ſudoris permutatur, ſecundùm qualitatem humoris dominantis.

X.

Ut igitur ſalſi ſudores naturalem corporis ſtatum demonſtrant: ſic amari ſudores bilis per corporis ambitum effuſionem indicant. At fœtidi non ſemper mali ſunt, cùm humores fœtidos per ſudorem, qui propterea fœtet, expurgare poſſit. Fœtidi tamen ſunt etiam propter humores putreſcentes, & intrinſecus deliteſcentes.

XI.

Sudores totius corporis in morbis boni ſunt: particularium verò membrorum mali: hi namque vim naturæ fragilem atque inermem ad expellenda noxia denunciant: illi v. dominium naturæ ſupra morbum, & materiam morbificam. Qui cœperunt, & deſierunt ſtatim, peſſimi ſunt.

XII.

Optimi ſunt ſudores in omnibus acutis,

qui fiunt die critica, qui integrè levant febrem, qui ex toto corpore manant, & ægrum levant. Contrarii verò his mali ſunt, & præſertim qui circa caput, vultum & cervicem fiunt. Criticus ſudor naturam ſemper robuſtam, & humores peccantes expurgantem indicat.

XIII.

Sudores in balneis inſtituti, & à laboribus moderatis concitati, ſimiles ſunt criticis, ideoque laudandi, ſi corpore puro moveantur, ac ſi ſint mediocres. Nam qui in balneis per aliquot horas deliteſcunt, & ſudantes commorantur, hi ſpiritus & calorem temerè profundunt, vitamque dilapidant.

XIV.

Sudores à cibo exiſtentes ſuâ ſpontè, ventriculum in coquendo laborare monſtrant. Qui verò in principiis morborum prodeunt, non tâm humorum abundantiam, quàm morborum longitudinem prædicunt, niſi ſint copioſi, calidi, & per totum corpus decurrentes.

CAP. XXXIX.

CAPUT XXXIX.

De Sputo, cujus conſideratio de Sanitatis diſpoſitione non mediocriter nos certiores reddit.

Cum inter alia corporis noſtri excrementa non infimum locum ſibi tribuant ſputa, non indignas propoſito noſtro obſervationes nonnullas addendas exiſtimo.

I.

Spuitio, græcè σιελισμὸς & πτυελισμὸς, fit propter cerebrum humiditatibus refertum, vel propter oris ventriculi ex humiditate imbecillitatẽ, quæ vel eſt per ſe, vel per conſenſum Splenis: nam Splenici potiſſimùm, & hypochondriaci multa ſputa per os rejiciunt. Eſtque ſpuitio propriè materiæ pituitoſæ, vel ſalivæ per os excretio citra tuſſim: quæ verò per tuſſim perficitur, potiùs ſcreatus dicitur.

II.

Saliva, quæ naturalem ſtatum obtinet, & in homine verè ſano reperitur, eas habet conditiones, ut nec quantitate excedat, nec ullum ſaporem habeat, profertúrq; à glandulis collocatis in faucibus, ad humectationem ſubinde inducendam.

III.

Saliva recedens à naturali ſtatu redditur craſſa, dum vel diutiùs retinetur in ore, vel quia pituita craſſa, à cerebro diffluens, ſalivæ commiſcetur. Tenuis crudiuſcula eſt, vel immixtam habet pituitam tenuem à capite devenientem. Spumoſa multos ſpiritus multumq; aërem, propter magnam longamque locutionem, vel etiam motum, unde pulmones incaleſcunt, continet: ſicut videmus in equis multùm agitatis. Saliva diminuta fit ex faucium calore immenſo, exiccante, vel ex glandularum vicinarum intemperie calida & ſicca.

IV.

Qui valetudine inculpatâ frui deſiderant, expuitione opus habent, ne ſaliva fauces irrigans, ſubindè ac vitiosè aggregata vergat ad ventriculum, chylumque craſſiorem reddat. Inſalubritatis nota eſt, crebrò expuere, taceo, quod civilitati morum repugnet.

V.

Saliva eſt quaſi nuncius ſaporum, idq; teſtantur jejunantes & à cibo potuque diutiùs abſtinentes, quorum ventriculus, in defectu alimenti pravos humores attrahens, ſurſùm

sùm mittit ingratos vapores in os, qui ſalivæ commiſti variis eandem ſaporibus imbuunt, ſed poſtmodum acceſſu alimenti rursùs evaneſcunt. Hinc quoque famelici gravem anhelitum emittunt, atque expirant.

VI.

Communicantur etiam ſalivæ vapores varii à vaporibus extrinſecus admiſtis. Hinc famelicus ille miſer in Ponte Pragenſi circa horam prandii, pro Cæſarea Majeſtate inſtructi, hinc inde ambulans, aêremque frequenti inſpiratione hauriens ac recipiens, propter ciborum fumos, per aërem delatos, ac per os & nares ſubindè attractos, ſalivæque immiſſos atque impreſſos, dapes imperiales ſeſe guſtare, ſicque ventri ſuo, impudenti Creditori, quotidiè impellenti, nonnihil ſe ſatisfacere, aſſeruit. Neque illud abſurdum eſt, ſi præſertim fortis accedat imaginatio. Sic Oenopolæ multi, vaporibus vini ſaturati, non deſiderant ejus potum, immò ſæpiùs faſtidiunt. Aromatarii confectiones ſuas vix delibant. Coquos maxima ex parte potus juvat, cum vel ex eduliorum vaporibus ſacietatem quandam percipiant.

VII.

Saliva per ſomnum defluens multam ce-

XVI.

Si poſt cibum copioſa ſaliva excernatur, ventriculum laborare indicat, vel ob propriam illius debilitatem, vel ob ciborum qualitatem, vel quantitatem: corrumpitur enim cibus, & humidum non benè terminatur actione naturalis caloris, ſed diffluit, & undiquaque diſpergitur. Cæterùm hæc immoderata expuitio poſt cibum inter potiſſima melancholiæ hypochondriacæ ſigna recenſeri poteſt.

XVII.

Qui tabe infeſtantur, ſi ſputum quod extuſſiunt (τὸ πύσμα) graviter olet carbonibus injectum, & capilli à capite ſimul defluunt, lethale. Hippocr. 5. Aph. aph. 11. illud enim oſtendit vel magnam humoris corruptelam, vel etiam pulmonum νέκρωσιν, quæ mortem minatur, cum fœtor ſignificet dominium caloris extranei, ideoque pus ingrati odoris eſt, & pili propter defectum alibilis ſucci defluunt, unde malum augetur, διὰ τὴν ἔνδειαν τροφῆς ἐσχάτης.

XVIII.

Sputum in pleuriticis ſi ſtatim initiò appareat, morbum abbreviat: ſi verò poſterius appareat, producit. Hipp. lib. 1. Aph. aph. 12.

In coacis ſic legitur: ſputum in pleuriticis, ſiquidem tertia die incipit maturari ac expui, celeriùs abſolvetur morbus: ſi poſt tertium diem, tardiùs. Nam in coctione is ordo eſt, ut negata in totum expectoratio crudiſſimum morbum ſignificet: Incipiens verò, ſiquidem quod extuſſitur, liquidum fit & aquoſum, imperfectam & obſcuram coctionẽ, ſi puri ſimile, ſed paucum, manifeſtam: ſi coctum & multum, perfectam coctionem demonſtret.

XIX.

A' ſanguinis ſputo puris ſputum malum Hipp. 7. Aphor. aph. 15. ratione loci potius, in quo ſcilicet ulcus difficilimè curatur, non propter pus ipſum, quod aliquandò bonum eſt & laudabile.

XX.

Excretiones ſputi in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ & bilioſæ, omnes malæ: ſi verò rectè prodierint, bonæ. Hipp. 4. Aph. aph. 47. Omnis ſiquidem excretio livida, quacunque parte exeat, indicat νέκρωσιν & mortificationem partis, unde manat. Cruenta, vaſorum pulmonis, thoracis aut alterius partis eroſionem aut ruptionem oſtendit: fœtida, corruptionem & putrilaginem, dominiumq; caloris alieni in humido.

ſcuntur, quæ alba ſunt, non aſpera, levia, æqualia, quæque conſiſtentiam juſtam oculis ſubjiciunt, id eſt, quæ neque ſupra modum humida & fluida, neque nimiùm craſſa ſunt, item quæ facilè & procul ejiciuntur: item quæ dolorem ſedant, bona ſunt.

X.

Sputa inſalubria ſunt craſſa: 1. Propter admiſtionem craſſæ & viſcidæ pituitæ, vel alterius corporis: 2. vel propter calorem validum, vel diutiùs agentem, materiamque incraſſantem: hinc pituita in thoracem præcipitata magis magiſque indureſcit. In morbis liquida ſputa nominantur à Medicis cruda.

XI.

Multitudinem ſputi, inquit Avicenna lib. 3. Fen. 6. fieri ex copia caliditatis, & humiditatis, quæ ſint propriè in ſtomacho: vel ob cibi gravitatem, vel corruptionem: quandoque ob magnitudinem ſolius caliditatis, ut in jejunantibus: aliquandò ex frigiditate & pituita.

XII.

Sputa interdum percipiuntur amara, & depravatur guſtus, vel propter admiſtionem diverſorum humorum: vel ob actionem in ipſis diverſam: nam pituita modò aduritur à calore urente, ut amareſcat, modò continuâ caloris actione degenerat.

mido. Bilioſa, quæ ſuo ſero diluta non eſt, meram & ſinceram bilem præ ſe fert, perniciemque indicat.

XXI.

Sputa multa in affectibus pectoris ſi in principio, & ſtatu appareant, duplici nomine ſalutaria ſunt, tùm quia robur magnum virtutis demonſtrant, tùm quia indicant, materiam eſſe benigniorem, & ad motum naturæ ſequacem: pauca verò ſputa in iiſdem affectib. ſemper mala ſunt. In phthiſicis ſputa retenta lethale ſignum prænunciant.

XXII.

Sputum inſipidum per ſe bonum eſt: at ſalſum & tenue ſemper crudum: ſputa ſalſa minantur ulcera pulmonis, alioſque graves affectus. Salſum ſputum, conjunctum cum ulcere pulmonis, prorsùs inſanabile, teſte Galeno lib. 5. Methodi. cap. 14.

CAP. XL.

CAPUT XL.

De Mucis, quorum contemplatio ſtudioſo ſanitatis non negligenda eſt.

CUm omnes corporis particulæ nutriendæ ſua producant excrementa, ſiquidem totum alimentum aſſimilari nequit: certè in cerebro etiam produci excrementa neceſſe eſt, eaque duplicia, fuliginoſa nempe, quæ adhærent cuti capitis forinſecùs, & craſsa, quæ in ventriculis cerebri primis colliguntur, ut deinde vel ſcreatu trajiciantur, ſi ad fauces deſcendant: vel emungantur, ſi ad nares decumbant. Hæc ſi juſto tempore excernantur, permultum certè momenti ad ſanitatem diu conſervandam conferunt. Ejuſmodi namque ſuperfluitates ſæpiùs lentè ac paulatim temperiem cerebri & nervorum naturalem pervertunt, tandemq; interitum inopinatum inferunt. Taceo, quod ventriculi tonum ac robur adeò diſſolvant, ut deſiderium cibi & potus vel prorsùs abſit, vel eorundem coctio non ritè procuretur. Hinc vitium primæ concoctionis neque in ſecunda, neque in tertia corrigitur, & aliud ex alio malum diſſeminatur: Proinde pauca de Mucis notatu digna occurrunt.

I. Mucus,

I.

Mucus, græcè βλέννα & κόρυζα, eſt, quicquid pituitæ, vel alterius humoris à naribus emanat, ad levandam principis animę ſedem. Ejusmodi mucor vocatur etiam μύξα, quod vocabulum, ut & βλέννα, quandoque de aliis humoribus accipitur, præſertim verò de iis, qui in oſſium conjunctione, in articulo coxæ, in cartilaginibus, & in utero inveniuntur: hinc quando femoris os immittitur acetabulo coxæ, & mucor quidam crebrò intervenit, homines tandem claudicant. Sic circa uterum contentus mucor abortum minatur, propter lubricitatem, quæ fœtum immaturum excludit.

II.

Mucor, de quo hîc loquimur, nihil aliud eſt, quàm excrementum cerebri, quod cùm multâ pituitâ refertum ſit, quicquid craſſum & ſuperfluum habet, per nares & palatum ſegregat: atque avertit, niſi impediatur.

III.

Mucus tenuis fit à frigore, cerebrum & oculos nimis comprimente: talem ſæpè in aniculis deprehendere licet, dum guttulam naſi extremitati adhærentem geſtant, & ſic per

per hyemem ingratum deſtillatorium circumferunt. Fit etiam tenuis mucus à calore colliquante pituitam.

IV.

Craſſus & viſcidus mucor fit ex diutina retentione: nam ſæpè contingit, ut per aliquot annos aſſervatus in cerebro, tandem concreſcat in tophaceam materiam, ut vix vel ſcreatu rejici, vel medicamentis diſcindi poſſit.

V.

Paucus mucor fit ex cerebro ſicco, vel quia pituita aliò defertur, nimirùm ad palatum, ad aures, pulmones, ventriculum &c. Hinc qui ſunt ſiccioris conſtitutionis, pauca rejiciunt excrementa: ſed interdum hîc falluntur etiam ſagaces Medici, putantes nihil vel parùm pituitæ in naturis ſiccioribus contineri, cùm tamen copia ibidem deliteſcat, è vaporoſis excrementis evecta, & accumulata, vel ex aëre auſtrino & paludoſo, cujus eſt caput implere, & deſtillationibus occaſionem præbere, paulatim concitata.

VI.

Mucores fiunt acres ex tenuitate & caliditate: hinc in principiis gravedinum hujusmodi apparent, quod enim fluidum & calidum eſt, celeriùs movetur, quàm craſ-

ſum

ſum & frigidum : acres verò muci ſunt calidiores,qui irritantes vim cerebri expulſivã, ſternutationes frequentes, & interdum irritas ſternutandi voluntates inducunt: quemadmodùm blandus mucus ex craſsitie materiæ, ex coctione, & ex æqualitate producitur.

VII.

Acredo mucoris corrodit non tantùm oculorum ſubtiles particulas, eisdemque titillationem & ruborem imprimit, ſed etiam nares, palatum, tonſillas & pulmones exulcerat. Et quoniam acres muci ſapiunt caliditatem, illi non tàm ob capitis calorem, q̃ propter admiſtionem ſuccorum calidiorum exiſtunt.

VIII.

Salſedo mucis inducitur ex putrefactione, dulcedo ex moderata caliditate, amaritudo ex ſumma caliditate,inſipitidas ab ipſa pituita aquea, nullo modo alterata. Hinc apparet, quantum referat, ſi mucus maturè excernatur, ne diutiùs retentus, quàm par eſt, quandam malignitatem induat.

IX.

Color mucoris albus inducitur à pituita alba, ſincera, nullam alterationem perpeſſa. Subruber

Subruber ex admiſtione ſanguinis evadit: pallidus ex permiſta bile, & ex ulteriore coctione & coactione reſultat, quæ pituita à Ruſticis impropriè medulla narium appellatur: Sunt enim probè percocti & maturati ejuſmodi muci craſſi, pallidi, ita ut in declinantibus deſtillationib. confertim prodeant, & facili negotio emungantur, & ad parietem allidentes ſonum clariorem edant.

X.

Pituita redditur fœtida, vel ab ulcere narium, vel à putrefactione, quæ gignitur in loco propè os narium, quod dicitur colatorium. Difficulter & cum magno niſu expellitur pituita, propter craſſitiem & materiæ lentorem. Pueri abundant muco, propter humidius cerebrum, tùm propter ingluviem, quæ in caput vapores copioſos elevat: unde etiam tuſſiculæ ipſis ſunt familiares.

XI.

In catharrho tenuis mucus principium gravedinis deſignat, materia craſſior initium maturationis, craſſa, compacta, cum colore pallido, facileque procedens maturitatem, morbique declinationem denotat.

XII.

A' periculo non ſunt omninò tuti, ſæpiùs

piùs catarrhum incurrentes: variis namque ſunt ægritudinibus obnoxii, minatur is Apoplexiam, pleuritidem, cœcitatem, dentium dolorem, phthiſin, paralyſin, ſurditatem, mortem ſubitaneam, apoſtema pulmonum, ſtomachi dolorem &debilitatem,podagram, diarrhoeam. Hinc frigidum, imbecillumq; cerebrum Catarrhoſi plerunque habent.

XIII.

Mucus & copioſa ſaliva repletionis ſunt ſigna, quæ vel nativâ cerebri humiditate, vel pravâ victus ratione vel ex culina corporis noſtri cerebro inducitur. Aliquandò ex intemperie cerebri calida, vel etiam ipſius jecinoris æſtu, humores diſſolventis atque extenuantis, malum exoritur, vel ingraveſcit. Verùm imbecillitas cerebri, nec non ipſius frigida & humida intemperies, multò frequentiùs cauſa exiſtit. Immò ab omnibus vaporib. copioſis, vel ex cachexia, & hypochondricis, vel aliunde promanantibus, mucorum multitudo provenit.

XIV.

Mucoſi plerunque ſunt ſtupidi,& Plautus in Bacchidibus homines bardos vocat blennos, id eſt, mucoſos: hinc ſtupidos Elleboro opus habere dicimus, id eſt, ſternutatione, cujus beneficio ſuperflua humiditas

expurgetur, cerebrumque in ſicciorem ſtatum, eumque ſalubriorem, commutetur: nam blandi paucioresque muci temperatam cerebri conſtitutionem demonſtrant: licet nonnunquam obſtructio mucos detineat, qui poſtea majori cum impetu devolvuntur, atque in partes alias, quâm per nares, ventriculum ſcilicet, pulmonem, ac pedes præcipitantur.

XV.

Capite laboranti & circumdolenti pus vel aqua vel ſanguis fluens per nares, vel aures, aut per os, ſolvit morbum, Hippoc. lib. 6. Aph. aph. 10. Capitis enim dolores miteſcunt, causâ morbificâ ſublatâ atque excretâ, præſertim ſi caput per ſe laboret, non per conſenſum. Hinc ejuſmodi remedia, naturæ beneficio inſtituta, ſæpè à Medicis juvantur, ſternutatoriis, errhinis, maſticatoriis, aliisque præſidiis adhibitis. Immò impreſſis cauteriis materia pertinax non raro cogitur, & evocatur.

XVI.

Senibus moleſtæ ſunt narium humiditates, γερόντων ὑγρότητες, Hipp. lib. 3. Aph. aph. 31. nimirùm propter dyſcraſiam frigidam & ſiccam cerebro inductam, nam calor ſenectæ frigiditate reprimitur, temporisque longinquitate

quitate attritus, tùm in cerebro, tùm in primæ concoctionis officina decreſcens, plurimos vapores cerebro obtrudit, qui condenſati mucorem & pituitam gignunt uberiorem.

XVII.

Hyeme copioſior mucus naſcitur in cerebro, quàm alio tempore: immò morbi hyberni plerique omnes ex Catharrho ſunt, ut coryza, raucedo, tuſſis, podagra pituitoſa. Hinc auſtrinæ quoque conſtitutiones caput gravant, unde pituita exuberans, niſi opportunè per nares & palatum expurgetur, ſenſus & calorem obtundit, caliginemq; ſenſibus offundit, omnesque facultates corporis ſua redundantia languidiores efficit.

XVIII.

Mucus cerebri quò copioſior eſt, quoq; diutiùs retinetur, eò dolores articulorum fiunt aſperiores. Immò hyems vel quævis anni pars paulò humidior, quàm propria ipſius conſtitutio admittit, apparens, acriores dolores podagricis exuſcitat, ob majorem repletionem. Quod bonus Medicus, & ſanitatis ſtudioſi animadvertentes, majorem valetudinis ſuæ rationem & curam, tùm in præſervando, tùm in curando ſuſcipere debent.

CAPUT XLI.

De perturbationibus animi, quarum magna vis eſt in ſanitate vel conſervandâ, vel deſtruendâ, ac primùm de Mœſtitia, ejusq; cura.

PErturbationes, ſive contra naturam commotiones animi, nihil aliud ſunt, quàm motus quidam præcipites, animum turbulentum atque inquietum, & à recta rationis via ac terminis evagantem, agitantes. Et quia ipſarum magna vis eſt in alterando corpore, & naturali ſtatu evertendo, nõ inutilem operam me inſumturum exiſtimo, ſi περὶ τῶν παθημάτων nonnulla propoſuero, cum generali eorundem curatione.

Cæterùm affectus & commotiones moderatæ neque menti neque corpori magnoperè obſunt: at immoderatæ turbant humores, ac ſpiritus, tantâque ſæpiùs alteratione corpus affligunt, ut morborum ac mortis cauſa fiant.

Et primò quidem triſtitia eſt caloris nativi ac ſpirituum à re non conveniente, ad ſua principia retractio: differre volunt nonnulli mœrorem à triſtitia, ut magis & minùs,

&

&quod mœſtitia ſit conſtans ac diuturna triſtitia, contendunt, uterque tamen affectus nemini, niſi inſolenti gaudio diffluenti, fructuoſus eſt.

Quemadmodùm igitur multi morbi non humoribus, ſed aliqua animi perturbatione foventur: ſic etiam affectus ejuſmodi, diutiùs & validiùs animo inhærentes, vim ſuam humoribus ipſis imprimunt & communicant adeò, ut affectus corporis inde profluentes maxima cum difficultate poſſint eradicari. Utque morborum corporalium curatio potiſſimùm in vera cauſarum, à quibus pendent, cognitione poſita eſt: ſic etiam, quò morbis ſpiritualibus, id eſt, animi affectibus, ſuccuratur, probè priùs ipſorum cauſæ ſunt indagandæ, & explorandæ.

Mœſtitia magnorum morborum nefanda eſt cauſa, dùm calorem nativum, ſpiritus & ſanguinem intrò vocando, cor vellicando & pungendo, flaccidos marcidosque reddit, frigus inducit, nutritione imminutâ ſiccat, variosque morbos importat: melancholiam, Maniam, hydropem, quartanam, appetitum caninum, appetentiam dejectam, maraſmum corporis, ſcyrrhum ſplenis, jecoris, ſcorbutum, Cachexiam &c. Quapropter motus hi vitioſi, extra naturæ limites

evagantes, ad rationis cancellos revocandi; cicurandi ac compeſcendi: Subſidia huic motui ſedando inſervientia ſunt varia:

1. Recreationes ex verbo DEI petendæ, inde enim ſpiritus turbulenti, & quovis modo divexati, ad quietem reducuntur, & ſolicitudines ſomnum intercipientes avertuntur. Ne fias αὐτόχειρ, propriæq; calamitatis ac interitus faber: ſiquidem vita hæc aliàs iñumeris ærumnis eſt expoſita. Quid tibi ſenium mortemque ipſam ante diem acceleras? nam mœſtitia via ad mortem pervia & proxima eſt, quid tibimetipſi perbrevem vitæ terminum, à natura conceſſum, abſcindis, & adhuc breviorem facis? repugnat propria natura, quæ ſui gaudet conſervatione, reclamitant liberi, conjuges & conſanguinei. Immò DEUS ipſe, cor non eſſe exedendum, ſeriò præcipit: Multos enim occidit triſtitia, nec utilitas in illa, Eccleſ. 30. & 25. proverb. ſicut tinea veſtimentis & vermis ligno; ita triſtitia viri nocet cordi. Teſtantur Medici & Anatomici, multos, mœrore nimio conſumtos ac interfectos, cor pyro contoſto ſimillimum exhibuiſſe: hinc ſpiritus triſtis non tantùm exiccat oſſa, ſed

etiam

etiam humidum radicale in omnibus membris,& multorum injuſta noverca eſt mœſtitia, nihil prorsùs ad id, cujus gratia te maceras, momenti conferens. Nec enim lacrymis affatim & continuò obortis jacturam illatam avertes. Ethnici lugeant, qui omni ſpe ſecuturæ ac lætioris vitæ excidunt. Itaque mœſtitiam omnem, utpote Diaboli culcitram, animo exues.

2. Admonitiones,increpationes,conſolationes amicorum,&jucunda converſatio cum ipſis non negligenda: conſcientia rectè factorum ſemper ob oculos ponenda.

3. Vitanda ſolitudo: nam melancholia, ut & Diabolus ipſe gaudet ſolitudine& locis deſertis, ab hominum conſortio alienis.

4. Hiſtoriæ legendæ jucundæ, fabulæ facetæ, ſculpturæ & picturæ elegantes inſpiciendæ: nam ſic objecto mutato animus aliò transfertur.

5. Somniorum horridorum occurſus, prava imaginatio, ut & ſcrupuloſa eorundem interpretatio, prorsùs abigenda & floccipendenda.

6. Inſtrumenta muſica, aures, animum, ſpiritusq; ſvaviſſimâ concentuum harmoniâ

per externas auras ſuaviter diverberatas, reficiunt, ſicque triſtitiæ medelam adferunt. Siquidem & ipſi infantes, in gremiis ſuarum nutricum deliteſcentes ac ejulantes, ad inſtrumentorum muſicorum proportiones & melodias à fletibus deſiſtunt, & acquieſcunt.

7. Moderato vini ac cereviſiæ uſu levatur mœſtitia, modò bibatur utrunque ad animum potiùs conciliandum, quàm ad ebrietatem invehendam.

8. Virgo ſeu uxor accerſatur applicabilis, faceta, formâ delectabili, moribus concinnis & honeſtatem ſpirantibus; uxor v. improba ad Sauromatas & Indos releganda.

9. Crocus, Mace, Cinamomum, omniaque cordialia, & quæcunque ſanguinem puriorem & copioſum progenerant, edulia, unde ſpiritus pellucidi, nulliſq; tenebris offuſi, elaborantur, ſint in promtu, & uſu. Non dici poteſt, quantas ſuppetias ferat ſpiritus meliſſæ indulgentibus mœrori.

10. Excludatur atra bilis melanagogis, Elleboro nigro, Sena, Polypodio, pomis utatur triſtis porſtorffianis, malis citri, omneſq; cogitationes ſeveriores, Melancholiam foventes, ut & objecta minùs grata removean-

moveantur, animoq;, quantum fieri poteſt, extirpentur.

11. Depuretur etiam ſanguis ſcarificatione, Venæ ſectione, hæmorrhoidum apertione, ſudoriferis, pharmacis melanagogis.

12. Venus poſt exhauſta vini generoſi pocula impenſiùs ſalutanda, ad excitandos ſpiritus torpidos, ſanguinem terreſtrem, & calorem deliteſcentem. Spectacula quoq; publica, & convivia, ſunt adeunda, deambulationes per æſtatem in loca amœniora & viridia ſuſcipiendæ. Horrida verò & parùm grata, neque viſui neque auditui objicienda, animusq; ab inquieto pavore vindicandus. Denique odorum ſuavitate & fragrantiâ ſpiritus extenuati & ſopiti reſuſcitandi.

CAPUT XLII.

De timore ac terrore, & eorum generali cura.

CUm omnis repentinus motus naturæ illatus valetudinem graviter offendat, nec abſq; noxa ſubitæ mutationes ferantur, ut ſilentio prætereram illas, quæ in deſtructionem naturæ paulatim invehuntur: certè quò impetuoſior

petuoſior fuerit illa impreſſio, eò promtiùs de ſtatu ſuo naturali ἐνέξιαν deturbabit, eamque interiorem rapiet. Quemadmodùm igitur in exuberanti gaudio ſpiritus & ſanguis è corde nimiùm relaxato, confertim moventur ac revehuntur. Ita in timore ac terrore humores quidem & ipſi cum ſpiritibus agitantur ac turbantur, ut ad interiora confugiant, externis partibus derelictis, quæ propterea algent ac tremunt: ideoque fieri poteſt, ut ex maximo impetu ſpiritus & ſanguis ad cor irruens ſuffocetur, homoque ſubitanea morte extinguatur.

Cæterùm affectus ſæpenumerò dependent à naturali cordis temperamento, quod ſubſidio Medici, quantum fieri poteſt, contrariorũ oppoſitione corrigendum eſt. Hinc Galenus præclarè admodum, ſolius cordis (quod totius quoque corporis, niſi epar vehementiùs obſiſtat, temperaturam producit, ſummamque manum humorum perfectioni imponit) efficatiam maximam eſſe in moribus & affectibus formandis & variandis, docet in Arte Medica cap. 29. & ſeq. ubi tradit, à calidiore corde audaciam & ad actiones promtitudinem, quin immò iram quoq; præcipitem, & furibundam temeritatem proficiſci: à frigidiore verò timiditatem & ſegnitiem. Sicciori cordi iram non promtam

quidem,

quidem, ſed feram, quœque ſedari facilè nequeat, tribuit: humidiori contrà proclivitatem ad iram, ſed quæ facilè miteſcat. Porrò calidiori & ſicciori cordi aſſignat actionum promtitudinem, conjunctam cum ira, quæ non facilè ſedetur. Calidioris & humidioris cordis effectum aſſcribit animum proclivem quidem ad iram, ſed à feritate alienum. Frigidiori & humidiori cordi timiditatem tribuit, iramque minùs promtam, ſed magis obſtinatam, ſi tandem fuerit excitata. Ex his omnibus temperati cordis effectus colligere non eſt difficile, & expectanda hinc modeſtia, & mediocritas in quibuscunq; mentis perturbationibus. At quanam furca, inquis, expellere potero innatum naturæ defectum, quò ſanitatis copiæ à vitioſorum affectuum turbis minùs concutiantur, ſed incolumes diu perſiſtant? non tantùm, ut dixi, implorato ſubſidio medico, quo contrariæ qualitates, ſanitati magis inſervientes, introducantur, ſed etiam Philoſophiæ præceptis, quibus affectus tumultuoſi ſedantur, & ad quandam mediocritatem reducuntur.

Porrò triſtitia tantummodò magnitudine, non toto genere à timore differt: Nam triſtitia paulatim idem, quod timor ſubitò efficit, revocando ſpiritus & ſanguinem ab externis ad interna.

Pavor

Pavor, idem quod perculſio, quaſi à verberando, cum mens percutitur, imminentis mali opinione: qui affectus fit in iis, qui in rem horribilem ex improviſo incidunt, unde ſanguis, calor & ſpiritus refrigerantur & obtorpeſcunt: eidem perturbationi nimis indulgentes aliquandò ad morbos, aliquandò ad mortem, corde impetu quodam ſuppreſſo, & ſtrangulato fuerunt præcipitati. Immò timore perculſos repentinâ canitie obrutos eſſe, hiſtoriis edocti ſcimus, calore ſcilicet ab exterioribus partibus, àque pilis vehementer ſubitoque avocato, & ſic alimento refrigerato, & vitiato. Nemini igitur hic affectus conducit, niſi temerariis ac furioſis, quibus commodè incutitur.

Pavorem igitur & perculſionem ſequitur conſternatio, quæ eſt quædam dejectio à ſpe & conſiliis: quam denique ſequitur exanimatio, quæ eſt quaſi expectoratio omnium ex animo virium, græcè ἔκπληξις.

Mulierculæ ſæpiùs adeò ſunt puſillanimes, ut ad ſtrepitum unius folii facilè obſtupeſcant. Præterea non paucos invenias, qui timore exanimati contumaces morbos incurrunt.

Multi Annæbergenſes ob ædium & bonorum ſuorum conflagrationem tantâ animi

mi conſternatione ac terrore perculſi ſunt, ut morte poſtmodùm præmaturâ fuerint oppreſſi: & ſic jacturam bonorum vitæque diſpendium tulerunt, quod ex ipſorum ore, qui lethaliter propterea decubuerunt, aliquoties intellexi; nec mirum, cùm hic ſit effectus terroris & immoderatæ triſtitiæ. Cives verò adhuc ſuperſtites, eodem incommodo detenti, ſciant, omnia in hiſce terris eſſe fluxa, caduca & momentanea. Medicus tuus cœleſtis melli deliciarum nonnihil fellis ſapienter intermiſcet, quò ab iſtis terreſtribus ablacteris, animumque ad cœleſtia, utpote ſtabiliora bona referas: non ſecùs ac nutrix atramento aliisque faſtidioſis rebus, mamillæ inunctis, alumnum ſuum à lacte ſevocat, & firmiori conſtantiorique cibo eundem aſſueſcit.

Cæterùm expaveſcentes ſæpenumerò adeò contremiſcunt, ut Epilepſiâ, tremore cordis, igne ſacro, ſanguinisque ſuppreſſione corripiantur: non decet viros timor, ſed magnanimitas.

Nec eſt, quod præſentis morbi tui periculum velis pertimeſcere: ex morbo tuo agnoſcis teipſum, diſcis inde frugalitatem, pietatem, cæterasque virtutes Chriſtiano dignas. Media interim non negligito, ſed eru-

ditum

ditum medicum, non Theriacopolam vel Agyrtam, vel veneficam, adducito vel accedito, inque conſilium adhibeto. Medicus n. ſagax & probatus quaſi ex orco ſuos ſæpenumerò revocat ægrotantes fermè exanimes cordialibus generoſis, quæ quidem majori cum fructu adminiſtrabuntur, ubi & illa timoris ac mortis Antidota pretioſiſſima, quæ Theologus tibi communicat, ſeriò imploraveris: nec unquam deſperabis de vita tua, priuſquā ſpirandi finis acceſſerit, nec deterrebunt Audaculorum mendaces prædictiones, quibus temerè morti te adjudicant.

Corporis v. jacturam qui facturus es, animæ naufragium non ſubibis: nam Mors piorum coràm Domino pretioſa, non revera mors eſt, ſed ſomnus & ἀνάπαυσις, laboribus omnibus terminum conſtituens, ultimamq; lineam miſeriis imponens: non enim hæc vita vitæ, ſed calamitatis nomen meretur, eſtque via tantummodò ad vitam, quæ in cœlis erit ſempiterna. Huc igitur attendito, nunc timorem mortis omnem animo exuito, excutito, abjicito. Mors commune & univerſale malum: mors Regum turres peræquè pulſat ac pauperum tabernas: cogitabis, te nec primum eſſe, nec poſtremum fore eorum, qui Naturæ tributū ſolvunt. Nihil igitur præcipuè cuiquam dolendum in eo, quod accidit univerſis.

CAPUT XLIII.

De lætitia moderata & exuberante.

IN gaudio & lætitia mediocri ſpiritus & ſangvis ad exteriora, ſed cum minore impetu è corde relaxato moventur ac revehuntur. Eſt igitur lætitia voluptas, quæ effuſis ſpiritibus animum facit efferentem, dum videlicet calidum nativum, adjunctosque ſpiritus è corde per corporis partes ad ambitũ diffundit: & ſic humores & ſpiritus deliteſcentes ſuſcitat, recreat, functionibus obeundis acriores, alacrioresq; præſtat: facitque hæc animæ ſecuritas ad graciles implendos, teſte Celſo lib.1. cap.3.

Quemadmodùm igitur mœſtitia calorem humidumq; abſumit, vitæq; longæ non parùm detrahit: ſic lætitia nobilores vitæ theſauros producit, auget ac inſtaurat.

Quid igitur luctu, mœrore, ſqualoreque te ipſum conficis? cur ægritudine animi volens contabeſcis. Licet enim nullus dolor ſit, quem non longinquitas temporis minuat atq; molliat, cum tamen inde vires immodicè dejiciantur, quod remedium allatura eſt diuturnitas, id nos præripere cõſilio, prudentiaque debemus. Quærendæ igitur ſunt alleviationes, recreationes, & fomenta naturæ: nã animi lætitia vita eſt homini, mensque gaudens ætatem facit floridam. Læ-

Lætitia verò immodica rarior eſt noſtro præſertim tempore, cum ferè nulla voluptas adeò dulcis ſit, quæ non aliquid ſalis ac fellis aſperſum habeat. Negari autem non poteſt, quod περιχάρεια μικροψύχοις damnoſa, immò mortifera nonnunquam fuerit deprehenſa: ſic muliercula, viſo filio, quem mortuum putabat, effuſo gaudio exanimata eſt: dum namque calor & ſpiritus cor linquentes, ob præſentis boni oblationem, univerſi prorumpunt, ac diſſipantur, non modò corpus refrigerare, ſed ſyncopen, mortemque repentinam progignere poſſunt.

Quoniam igitur gaudii exceſſus nimiâ & ſubitaneâ cordis explicatione ac relaxatione ſpiritibus vitalibus reſolutionem ac diſſipationem affert, quam repentina exanimatio ſequitur, τὸ μηδὲν ἄγαν ſemper inſpiciendum, cogitando, etiam mellis & florum veneris eſſe ſacietatem, & dulciſſimos quosque ſuccos verti in flavam bilem.

Nonnulli uſque adeò leviuſcula de cauſa in cachinnum erumpunt, ut hac ratione ſuam potiùs ſtoliditatem, quàm lætitiam prodant.

Excedens lætitia ſæpiùs ebrietatis, nimiarum vigiliarum, aliorumque malorum comes eſt: nam uno inconveniente dato, ſequuntur

quuntur infinita. Ne autem exuberante lætitia diffluas, memor ſis damni inde proventuri, memor ſis humanæ fragilitatis, mortisque ſubitaneæ, homines multoties inter pocula adorientis & Apoplexiam incutientis, unde tàm corpus, quàm animam poſſes perdere. Quare & judicii extremi, ſingulis momentis expectandi memoria te à lætitia illicita retrahet atque abducet, ne poſtea talis judiceris, qualis offenderis. Ita enim ſodales tuos impios, qui nihil aliud quærunt, q̃ ut ſeſe mutuò ad pelliculam curandam, & pocula ſtrenuè exhaurienda invitent, prudenter arcebis, quippe qui nullam valetudinis ſuæ rationem gerunt, animamque venalem exponunt.

Exceſſus gaudii maximè in ſenibus & aliis, qui imbecillo ac tenui ſunt corpuſculo, non caret periculo. Quare & ægrotis languidioribus nuncium valdè bonum & inopinatum non ſubitò offerendum, cum hi magis à quovis exceſſu lædantur, quàm qui ſecundâ fruuntur valetudine, utpote qui corpore ſunt vegeto, ſucculento & ſpiritibus referto: ideoq; hi propter ſpirituum copiam, & vitale robur eximium, vires ſuas non tàm facilè deperdunt, nec animi deliquium incurrunt, ac ægrotantes.

Y CAP. XLIV.

CAPUT XLIV.

De Curis ſuperfluis, deq́ irremiſſo literatorum ſtudio.

NAturales facultates à nulla re ita diſſolvuntur & langueſiunt, ut ab immoderatis curis. Nam cæteri, qui à curis & cogitationibus liberi ſunt, omnia alimenta conficiunt, coquunt, & robur corpori acquirunt. Vice versâ qui attentiùs, & importuno tempore meditantur, ea quæ concoctu facilia ſunt, vix conficiunt.

Lucubrationes in multam noctem protractæ prorsùs fugiendæ: nam ſtomachus diurnâ actione concoctionis defatigatur, qui ſuccedente nocte novam ſpirituum copiam loco fomenti deſiderat. Quapropter intempeſtivæ contemplationes ſpiritus à concoctionis opere avocant, & ad caput retrahunt, præſertim ſi ſtudium attentius accedat, quod plurimùm caloris & ſpirituum abſumit. Adde, quòd cerebrum, propter meditationis ſtudium incaleſcens, craſsioribus repleatur vaporibus, cibusque in ſtomacho à calore & ſpiritu deſtitutus, crudeſcat & putreſcat, unde denuò caput oppletur ac læditur.

Taceo, quod per noctem pauciores craſſioresque ſuperſint ſpiritus, diurnâ fatigatione

ne non parùm reſoluti, qui propterea ad meditationes magis fiunt inepti.

Literati quantum reliquo corpore ocioſi ſunt, tantùm cerebro ac mente negocioſi, unde potiſſimùm hoſtes duo ipſorum vitæ ſtruunt inſidias, pituita nimirùm & atra bilis, illa quidem ſæpiùs obtundit ingenium & memoriam, ac compluribus affectibus occaſionem præbet: hæc verò ſi exuberaverit, nõ tantùm melancholiæ hypochondriacæ & marcori, ſed affectibus quoq; maniacis cauſam ſubminiſtrat, & in mœrorem literatos adigit. Quamobrem intento admodum ſtudio, operâque indefeſsâ ſpeculationibus gravioribus incumbentes fiunt κακοςόμαχοι, pallidi, catarrhis obnoxii. Nonnulli fiunt Maniaci, Eremitæ, ecſtatici, hæretici, φίλαυτοι, prorſusque inepti ad civilem converſationem: quidam ob pravam nutritionem planè contabeſcunt: nam ante tempus ſenectam adducit immodicus animi labor: idcircò doctiſſimi quique monitiones haſce negligentes, quò palmam reliquis præripiant, indefeſſo labore attriti, opinione citiùs ſuccumbunt, tùm ob cauſas ante allatas, tùm propter ocium immoderatum, quod ſuperfluitates cohibet, adeoq; in totum corpus eaſdem diſſeminat.

Qui attentiùs cogitârunt, iis vinum detur, & quippiam opponatur, quod ſpiritus recreet, ea nempe, quæ ex ſermonibus, deambulationibus & ſpectaculis jucundis percipitur, animi oblectatio, nec non ex inſtrumentis Muſicis. Optimum remedium eorum, qui meditationibus nimiùm fuerunt dediti, eſt τὸ διαναπαύειν: nam defatigatio tàm corporis, quàm animi, ex valido motu contracta, quiete tollitur & ſanatur, utpote à ſuo contrario, niſi aliud quiddam quietem inturbaverit.

Animum itaque ſeverioribus rebus ſerie continuatâ nemo diſtrahet: expatiaberis per loca amœna, viridia: ventis benignioribus; eteſiis, corpus expones. Ingratitudinem ſeculi ſibi ob oculos ponat, quicunque curis & lucubrationibus nimiùm enervatur: remittet nonnihil, licet ſciam, quod merces noſtra copioſa futura ſit in cœlis: nàm ſicut ſplendor firmamenti fulgebimus.

Fracti laboribus animi non tantùm vino generoſo ſpiritus deperditos reſtaurabunt, ſed humectantibus etiam, beneque nutrientibus, cibariis ſanguinem ſiccatum reficient: juſcula carnium, caponum, & gallinarum, mace, crocoque condita ſument, aliaque eſculenta εὔπεπτα, εὔτροφα, εὐαναδοτα, ἰκχύτροφα. Piſces autem carnesque fumo induratas,

ratas, aliaque craſſiora alimenta ad ruſticos ablegabunt, arteſque mechanicas tractantibus eadem diſcerpenda, digerendaque relinquent.

CAPUT XLV.

De avaritia.

AVaritia eſt violenta animi perturbatio, perpetuis vigiliis homines quàm plurimos excrucians ac proſternens. Sunt autem divites avari non divites, ſed pauperrimi & non miſerrimi, dumque adeò ſunt reſtricti tenaces, ſordidi, variis certè morborum generibus affliguntur. Ægrotantes verò in locum Medici ſubſtituunt veneficam, Agyrtam, loco purgantium ſalubrium utuntur Elleboro albo pro unico numo: vel fluxam alvum reddunt, prunis vix quinque comeſtis, ſuperbibendo hauſtum aquæ. Panem atrum, mucidumque ex jure heſterno vorant, vetuſtiſſimum eundem ſibi comparant, quo faciliùs in exigua quantitate poſſint expleri. Cereviſiam quandoque bibunt ſecundariam, ſæpiùs ſerum vaccinum, veſcuntur fungis, halecibus, caſeo antiquo. Vino aceſcenti parcunt, & propter tenacitatem non bibunt, ſed acetum pretioſum inde conficiunt.

ſunt. Unico ferculo contenti vivunt. Publicū malum eſt avarus, annonæ caritatem invehens, dum omnem in foro avenam, aliudq́; frumentum aliis ſubducit, vel aliunde ex pagis & prædiis ſibi tantùm afferri curat, quod poſtmodùm duplo carius, & ultrà, hominibus, & Agricolis, qui prius erant venditores, obtrudit, ô indignum facinus, ac ſceleranda uſura, ſupplicio æterno digna. En hirudines provinciales, qui mediis quibuscunque, vel aliorū ſudoribus, & ſanguine ſecundario ad ſe pertracto, facultates ſuas indies augere ſtudent.

Ejuſmodi vultures ac lupi inſanabiles ubique reperiuntur, qui alienis bonis ungulas injiciunt; ſeque convertunt in hirudines, & aliorum exugunt ſanguinem. Pumices profectò non æquè ſunt aridi, ac ejuſmodi avari, quippe qui faciliùs ſibi dentem unum ex ore excuti patiuntur, quàm numum unū ex arca moveri.

Verùm hanc rapinam pro ſingulari benedictione divina agnoſcunt, hinc exiguam quandam ſummulam Eleemoſynarum nomine in pauperes erogant, annisque ſingulis quadrantem thaleri Miniſtro verbi divini conſideratè largiuntur, hac ratione religionem & liberalitatem ſuam oſtentantes, &

tanquam

tanquam de ſuo impendentes,quęcunq; ſcelera bonis iſtis operibus obliterare conantes.

Sordidos iſtos Euclones, & perpetuos famelicos à tanto crimine abſterrere ac revocare debebat cumprimis vox veritatis: deinde periculum animæ & corporis.

Avaritia radix malorum omnium.

Dives avarus difficulter intrabit Regnũ cœlorum.

Stulte, hodiè animam tuam à corpore tuo repetam,& cujusnam erunt divitiæ,quas corraſiſti: ſevera certè increpatio. Videbis igitur, ne terreſtribus nimiùm intentus, vanaſque poſſeſſiones ac fortunas impudentiſsimis oculis,ſpe &mente defigens,cœleſtia bona amittas.

Impius eſt avarus, dum nihil aliud in templo & alibi meditatur, aut ſonat, quàm coacervationem opum, quarum cupiditate ita ardet, ut quicquid tetigerit, ungulis injectis firmiter teneat, neque expleri poſſit, donec ipſi tandem os humo ſuperingeſtâ planè obſtruatur. Hinc plerunque ſublato eſt animo is, cui paululum acceſſit pecuniæ, dum opibus ſuis non aliter atque urbe munitâ fretus,ſe ab omnibus fortunę telis tutum exiſtimat, ideoque pauperiores contemnit, ac injuriis afficit.

Nobile ſemen, verbum Dei, ſuffocatur ſolicitudine victus, unde mortis æternæ ſupplicium pertimeſcendum.

Furtum committit avarus, per fas & nefas bona conglomerans, acervos acervis nulla intermiſſione cumulando, atque aggregando.

Avarus eſt maledictus homicida, & ſordidus homuncio, corpori ſuo neceſſaria denegando, idque viribus ſuis exhauriendo, unde ſæpiùs ἀυτόχειρ evadit: multi profectò avari corpus & animam in æternæ miſeriæ abyſſos præcipitant, & brevioris vitæ fiunt.

Contentus itaque quivis ſit ſua ſorte, partis bonis rectè fruatur, ſit beneficus in pauperes, in eosque ſuos derivet rivulos cogitetque ſe mortalem eſſe.

CAPUT XLVI.

De iracundia, ſeu excandeſcentia.

IN amore & ira calor affatim effunditur, ſed fine diverſo. In ira igitur, quæ eſt appetitus depulſionis, exeunt ſpiritus, veluti ſuppetias inſtrumentis laturi: muſculis quidem, ad inferendum ictum, in fortibus ſcilicet & bellicoſis: linguæ verò in imbellibus ac imbecillis, quod mulierculis ac uxoriis contingere

tingere videmus, quos iratos tàm inſolens efferaque ſæpiùs linguæ procacitas protrahit ac effert,ut indomitā beluam putares ipſam linguam.

Acerbitas animi immoderata bilioſas febres concitat, pleuritides, podagram, Apoplexiam, Paralyſin, Epilepſiam, iliacam paſſionem, hæmorrhagiam,mortem præſentaneam, lipothymiam, &c. partim quia excrementa concitantur ad motum, & ab uno membro ad aliud demigrant; partim quia calor ac ſpiritus reſolvuntur ac diſſipantur, præſertim in iis, qui corpore ſunt imbecillo, raro.

Cogitet iracundus ſe hominem eſſe, ideoq; humanitatis nomine exornatum animal cum ſit, & rationis particeps, crudelitatem meritò fugiet: eſt enim iracundia inimica conſilio, & rationi. Compeſcat igitur horribilem hunc affectum, ne ipſius impetu longiùs digrediatur, quàm ſapientis hominis cogitata ratio poſtulat. Rationalis itaque cum ſis, cur rationalitatem commutabis cum beluino furore? Nam ira furor eſt, unde pars appetens animi ſic irritatur, ut ſine ratione & conſilio nihil benè agat, hinc iram ὀλιγοχρόνιον μανίαν dixerunt: poteſt tamen in verum furorem ac perſiſtentem degene-

 rare.

rare. Hinc lib. 5. cap. 11. Polit. Ariſtot. dixit: ſibimetipſis non parcunt, qui per iram aliquid ſuſcipiunt, ſicut & Heraclitus dixit, difficile inquiens eſſe, cum iracundia dimicare: vitæ enim hoc precio conſtare. Eccleſiaſtes cap. 30: Zelus & iracundia minuunt dies. Cumque iracundia non faciat, quod juſtum eſt coràm DEO, omnes πικρόχολοι manſuetudinem & miſericordiam DEI, qui non ſtatim peccantibus immittit fulmina, ſibi ob oculos ponent, ne irâ exacerbentur, ſed affectus potiùs moderentur, ac humanitatis facilitatisq; condimento temperent.

Certè ſibi perſuadeat iracundus, ſe nihil inſaniâ ſuâ proficere, ſuosque adverſarios improbos, ſubditos contumaces, miniſtros infideles, longè graviorem pœnam deportaturos eſſe.: Longa ſit aurium attentio, brevis linguæ reſponſio: pauca nervosè & conſideratè loquatur. Simultatem deponat, cumque ſit Chriſtianus, aſſueſcat patientiæ, & reconciliationem admittat: beati namque pacifici: Ante Solis igitur occaſum deponat iram.

Utatur aquâ continentiæ in balneo, rationis moderato calore ſublimata: Veneris uſum, & blanditias uxoris admittat. Qui n. per ætatem legesque pietatis honeſto modo venere uti poſſunt, ab illius uſu tàm in mœrore,

rore, quàm in iracundia & fervore bilioſo multum commodi percipiunt.

Utatur pharmacis, intemperiem jecoris calidiorem refrenantibus, ut Cholagogis, ac diureticis. Fugiat vinum forte, & aromata calidiora.

Nonnunquam in temperamentis hominum frigidis & humidis, ut & in morbis quibuſdam frigidis ex candeſcentia prodeſt, ſuccorum & coloris bonitatem inſtaurando, & ſanguinem ſub cuticulam, nutritionis gratiâ revocando. Hinc Galen. in lib. 6. Epidem. comm. 4. idem præcipit, iram nonnunquam evitandam, nonnunquam de induſtria excitandam eſſe: vitandam quidem, cum & cor & caput naturali intemperie ſupra modum calida ſunt: excitandam verò in frigidis vitiis, ut & corde & capite naturâ frigidiore.

CAPUT XLVII.

De perturbatione venereâ, ut & de imminuta veneris appetentiâ.

QVemadmodùm Veneris uſus legitimus, juſtus ac moderatus, ad proſperam valetudinem magnam vim habet, atque efficaciam, ita ſi immoderatus fuerit, multorum malorum occaſio exiſtit.

Quia

Quia namque concubitus inter evacuationum genera jure recenſetur, (dum ſemen retentum, haud ſecus atque alia ſupervacanea naturæ onera, corpus degravat, idque pigrum, ac functionibus obeundis ineptum reddit) ſaluberrima venus jure cenſebitur, ſi eatenus exerceatur, quatenus vires corporis non lædit, & alacritatem quandam corpori conciliat. Tunc enim magna pituitæ pars, aliorumque humorum colluvies, tempeſtivo concubitu ſimul ejaculatur, quæ diutiùs cohibita corpori mentique noxam affricare conatur.

Hoc ipſum in virgunculis, quæ ſeriùs conjugio deſtinantur, aut quibus ex voto caſtimoniam profeſſis aditus ad connubia interclusus eſt, obſervari licet: nam præter indomitam tentiginem ac flammas, præter latentes tacitosque ardores, quibus incenduntur, calore quoque muſtellino afficiuntur, & à concepta concumbendi imaginatione, ex virorum contuitu, incubo ſuccubo, feminisque effluxu laborant. Præterea cordis tremore & palpitatione ob denſiſſimos fumos affliguntur.

Quod ſi voluptate ad congreſſum, non ductu naturæ, rapiamur, futurum profectò eſt, ut non corporis modò, ſed & animi vi-

res ſtangantur, prorsusque unà cum vitâ pereant.

Profectò plerique, nulla habita concoctionis aut cruditatis ratione, nullo noctis & diei diſcrimine, neglectâque illius rei opportunitate, avidè & crebrò hac pernicioſa voluptate perfrui feſtinant, qui cum nullas leges moderandæ libidinis obſervant, totius corporis robur ac nervos profundunt, immodica nativi ſpiritus & caloris diſſolutione factâ. Unde ſequitur defluvium capillorum, præmatura canities, color defloreſcens ac pallidus, oculorum caligo ac lippitudo, collapſus temporum, gracilitas tibiarum, extenuatio membrorum, cruditas, cachexia, febris Hectica, Stupiditas, vertigo, Arthritis, Podagra, Lepra, lues Venerea, mors immatura.

Venerei ab imaginibus obſcœnis aſpectum retrahant, ſcripta ſcurrilia non attingant, mentem quoque ab ejuſmodi inquinamentis abducant. Res age, tutus eris. Vir non ſit mollis effœminatus, cum à virtute nomen habeat: reſpuat igitur ſordidas: quis enim ejusmodi habitatione gaudet, ubi omnis generis ſordes, ab editioribus ædificiis deterſæ, tanquam in Brûleto confluunt? nam uterus univerſale corporis emunctorium.

Libidi-

Libidinoſus extra conjugium incantationes ac pocula amatoria, quæ philtra vocantur, pertimeſcat. Membra quæ aliàs ſunt domicilia Spiritus ſancti,non ſint membra ſcortationis, quam tragicus ſæpè eventus comitatur; judicium divinum, nec non Magiſtratus politici ſevera animadverſio. Taceo, quod ejuſmodi ſpurcitiem ac inſanam libidinem plerunque ſumma rerum gerendarum infelicitas comitetur. Satisnè ſanus es, qui perbrevem voluptatem,unde damnatio metuenda,cum æterna felicitate commutare audes? qui balſamum vitalem temerè profundis? Sobrietas & fames huic malo inveniunt remedium: utatur igitur diæta tenuiſſimâ, qui præceps in libidinem fertur: Sepoſito vino &cereviſiâ ſanguinis fervor extinguatur hauſtu aquæ: luxus namque præcipuum amoris, qui nullo moderamine fertur, pabulum eſt ac fomentum.

Sanguinei utantur phlebotomiâ, exercitiis,laboribus. Sublimia meditentur laſcivi, nec terreſtribus adeò ſint affixi: nam natura hominem ſublimem propterea condidit: quid igitur lutum exoſcularis? quid inteſtina alterius ſentinâ & ſqualore referta corpori tuo admoves? Comede rutam fre-

quenter,

quenter, & quæ ex hac conficiuntur medicamenta antiſatyrica, utere camphora, ſemine agni caſti, herba Lactucæ &c. & ut multa paucis complectar, piè ac parcè vivito: nam ſine Cerere & Baccho friget venus.

Extinctam ſeu imminutam Veneris appetentiam quod attinet, conſiderandum, an per incantationes impotentia fiat, an per diſſidium &rixas, an per frigiditatem & morbum, an denique ratione ætatis ſenilis.

Varias ineptias, potiùs ſuperſtitionis quàm artis nomen merentes, ad malum incantationis abigendum: vulgus commemorat, cujusmodi eſt hoc: ſedeat ſponſus in ciſta Sponſæ, hæreditariò acquiſitâ, pedibusque diductis utrinque ſedens in medio clavem admoveat ciſtæ, illamque aliquoties aperiat. Poſtea namq; ciſtam virginis alteram eâdem facilitate aperiri poſſe pronunciant, cum peſſulus virilis clavi aſſimiletur.

Aliud ex relatione plebis, (cujus equidem experientiam nullam habeo) ſumat afflictus annulum à Sponſa in ſignum fidei connubialis ſeu Arrhæ loco traditū, evellat Sponſus ceſpitem viridē, invertatur ac reponatur in locum priorem, & ſic per annulum ac ceſpitem per novem dies matutino tempore propriam urinam transmittat & mingat.

Quidam

Quidam removent ſtramen è lecto connubiali, novumque ſubſtituunt. Ponuntur hæc non ad imitationem, ſed ad ſtolidæ plebeculæ ſuperſtitionem revelandam.

Si per diſſidium & diſcordiam refrigeratio acciderit, componendæ ſunt rixæ, ac deponendæ ſimultates.

Si per frigiditatem membris inhærentem fuerit oborta, languidus ac piger abſtineat à rebus frigidis, & quæ ſeminis conſumendi vim habent. Cibis utatur euchymis, calidioribus, ſanguinem abundantem progignentibus. Invenias ſiquidem mulieres adeò ſalaces & procaces ſangviſugas, ut niſi ſubdito virili peſſulo valenter munus ſuum perſunctus fuerit maritus, quotidiè ingruant in ædibus tempeſtates ac tumultus: tàm avidæ audiuntur nonnullæ, ut laſſari citiùs, q̃ ſatiari queant.

Comedat ſexus frigidior teſticulos gallorum cum melle & aromatibus coctos, item teſticulos arietum (Sternnteren) & cibos quoſcunque delicatos, capones, gallinas, aviculas, pullos columbinos, cancros ac teſtudines piperiſatas, ſuperbibat vinum Rhenanum, ſeu francicum.

Ante praxin bibat aquam Meliſſæ, ſpirituum meliſſæ, malvaticum, in quo macera-

tæ ſint

æ ſint baccæ juniperinæ; aquam Cinamomi: comedat pineas, amygdalas confectas, fœniculia, niſi confectiones: maſticet Cinamomum, Galangam, radic. ſatyrionis conditas: prodeſt etiam Zinziber conditum cum melle, radix Ari condita, cepa, paſtinaca, majorana.

Partes genitales refrigeratæ inungantur aquâ aliqua roborante, item oleo nucis moſchatæ cum moſcho, & Zibeta, oleo quoque formicarum.

Senibus verò decrepitis Venus planè inutilis eſt, ne ſolutioni ac infirmitati ſolutio & infirmitas addatur.

Sed de hoc affectu in parte practica hujus libelli plura, ad ſanitatem & longævitatem pertinentia commemorabimus.

CAPUT XLVIII.

In quo cauſæ pleræq; omnes longitudinis ac brevitatis vitæ breviter enarrantur.

NOn præter rationem Affectuum qualiscunque explicatio, & cura breviter annexa noſtram conſiderationem requiſivit, cũ Affectus non tantùm ſub rerum non naturalium numero contineantur, ſed etiam cum

ſæpiùs deliteſcant in occulto, inſcioq; Medico cor hominis exedant, adeò, ut ab animi perturbationibus multi dependeant morbi, ac diſpoſitiones morborum, qui pfectò non poterunt aboleri, niſi eorundem cauſa procreans ac fovens priùs fuerit remota. Multi namque decumbunt, vix aliquem percipientes dolorem, cum tamen à mœſtitia & ſolicitudine ſenſim conſumantur. Non pauci, cujuſdam rei deſiderio capti, perpetuis excruciantur atq; emaciantur vigiliis, cùm tamen Medicus & alii idipſum non animadvertant. Opus igitur eſt ſagacitate, & exquiſitâ rerũ omnium, ut & temperamentorum, cognitione, quæ nos in veram morbi vel morbificæ diſpoſitionis, unde interitus imminet, cauſam deducat. Opus inſuper eſt εὐτραπελίᾳ & φιλοπροσηγορίᾳ medicâ, quæ animum perterritum, remiſſum, vel quovis modò diſtractum, demulceat, erigat, ac reficiat.

Cæterùm cum humana memoria labibilis ſit, pleraſq; cauſas longioris ac brevioris vitæ unico capite ſubjiciendas exiſtimo, à longævitatis cauſis exorſus.

1. Pietas ad longam vitam nececeſſaria eſt, propterea ſæpenumerò vivaces ſunt, qui infirmis principiis in lucem ſunt editi: honor enim & præmium honoranti confertur ab eo, qui nobis inſpiravit ſpiraculum

lum vitæ, qui eſt vita noſtra, & longitudo dierum noſtrorum: Siquidem Dei donum eſt, depoſitumque ſingulare vita noſtrâ, quæ ipſius Dei virtute ac potentiâ ducitur.

2. Bona principia, in generatione hominis concurrentia, ſunt longioris vitæ baſis ac fundamentum, quale ſunt ſemen & ſanguis maternus, ſi iſta decidantur à ſanis parentibus, quorum vis non parùm promovetur atque adjuvatur à vitali calore Solis, aliorumq; ſiderum, vel etiam ab iiſdem depravatur, ac ſegnior evadit, invectâ ſcilicet aſymetriâ quadam, tùm caloris & humidi, tùm qualitatum proportione minùs congruâ.

3. Honeſta ac diligens educatio à teneris ad progandam vitam permultum facit. Si n. ſenilis ætas circumſpectâ cõjugis corâ diu ab interitu vindicari poteſt, quæ tamen ſæpè modò hujus, modò alterius injuriæ vim experta eſt, ita ut in admirationẽ adducamur, quomodò diutiùs perſiſtere ac perdurare valeat: quidni ab eunte ſtatim ætate, ut & per reliquos ætatis decurſus operæ noſtræ fructum in tuenda valetudine longè majorem perciperemus?

4. Temperantia, ut & rerum utilium diſcretio, bonæq; diætæ, reb. nõ naturalib. incluſe,

obſervatio amiciſſima eſt vitæ, immò accepta longævitatis nutrix: nam omnis natura noſtra in mediocritate poſita eſt, quã moderata, utpote ſimilia, tueri ac conſervare poſſunt.

5. Superfluitatum tempeſtiva excretio cauſa eſt non poſtrema conſervationis vitæ; nam calidum & humidum nihil ab iſto contrario, quod corrumpendi vim habet, patitur: ſiquidem contraria ſeſe mutuò deſtruunt ac perimunt: addo quod ejusmodi ſuperflua, juſto tempore excluſa, calorem minùs interturbent, ſed alacriorem eſſe ſinant.

6. Conſervatio ac tutela caloris nativi plurimùm ad longævitatem conducit, cum vita in calore conſiſtat, eodemque foveatur, ac conſervetur.

7. Cœli clementia, ſoli ac regionis bonitas, vitam productiorem, & ſalubritate florentem efficiunt. Cum enim ſanitas ſit quædam temperies, certè quę temperata ſunt, omnisque exceſſus expertia, naturæ ſunt amica, & idcircò proferendæ vitæ valdè accommodata.

8. Medicina ſalubris, ſelecta, & præcellens in cuſtodienda vita mirandos effectus edit. Quod enim à natura denegatur, id artis miniſterio completur: ſi natura ſegnior

eſt

eſt in excernendis ſupervacuis, admonenda eſt ſui officii; ſi languida, confortanda: ſi luxurians, refrenanda.

Brevitatis vitæ cauſæ, cum oppoſitorum int oppoſitæ rationes:

1. Impietas, quæ ut alia complura bona, ita & longævitatem intercludit, id quod divinæ comminationes atteſtantur, & exempla impiorum complura.
2. Naturæ defectus notabilis, vel in conformatione ac temperie totius iniquâ, vel in aliquo tantùm viſcere enormis dyſcraſia, corporis Oeconomiam peſſundans, anguſtioribus limitibus vitam circumſcribit: licet negari non poſſit, multos non quidem naturæ bonitate, ſed victus obſervantiâ longævos fieri.
3. Educatio negligens, & jactura bonorum corporis in ætate florida, quæ vix unquam in ætate ſenili reparabuntur: nam multi, robore naturæ freti, ſanitatis copias profundunt in æſtate, quæ poſtmodùm non ſine querela deſiderantur in hyeme.
4. Ingluvies præſentis ſeculi ingraveſcens, & mala diæta terminum vitæ celeriùs abrumpit: nam ſic calor, nec non inſtrumenta concoctionum citiùs atteruntur, & propria temeritate ſanitatis fulcra dejiciuntur ac deperduntur.

5. Excrementorum proventus in corporibus celeritatem termini accelerat, fractis ſcilicet, quibus vita fulciebatur, fundamentis, omnique morborum colluvie proveniente.

6. Frigoris inclementia, (quæ tamen etiam ſub diæta comprehenditur) tùm ab externo aëre, tùm à potu præceps delato, calorem nativum extinguit, à muniis ſuis diſtrahit, & quaſi coactum præfocat: nam frigus vitæ peſtis eſt.

7. Manſio in regione minùs ſalubri ac intemperata, unde non tàm aër inſpirandus, q̃ fructus & eſculenta cętera comedenda, redduntur deteriora, & ad benè nutriendum reficiendumque corpus minùs idonea.

8. Medicina illegitima, quæ tot homines ad orcum detrudit, utinam detruderet potius Medicos iſtos ſpurios, hæreticos noſtros, quos odio proſequar Valentiniano, quoad vixero.

9. Terminus vitæ à Deo præſtitutus Medici operam omnem eludit: quod inde colliges, cum media ſolerter adhibita, & ſatis quidem pretioſa, ſpem noſtram fallunt, nec optatis ſatiſfaciunt: hinc brevior vita nutu diuino homini contingit.

10 Negligentia & mora ægrotantis, vel ad morbum diſpoſiti, medicā opem non efflagitantis

flagitantis in tempore: nam occaſio, quæ in omnibus agendis magnum habet momentum, non dat inducias, ſed momentanea, lubrica, & præceps eſt in actione medica. Venias igitur & accedas Medicum in tempore: cum procraſtinatio iſta non tantùm viribus plus detrahat, ſed etiam cum magno ſit conjuncta periculo. Multi, quod ſcio, uxoribus ſuis annoſis ac morboſis de Medico noluerunt proſpicere, cadaver expectando, & juvenculam: Veruntamen iſtæ noluerunt migrare, ſed priſtinam ſanitatem recuperârunt, ac deinde ſubſidio divino vitam tenaciſſimam adeptæ ſunt. Videamus, inquiunt infideles mariti, quid craſtinus dies ferat, ut (St. in aurem) interea moriatur anicula.

11. Avaritia & tenacitas hominũ importuna, ac præpoſtera, pcipua brevioris vitæ cauſa eſt, ppter rerum neceſſariarũ, ad morbum vel inhibendum vel profligandum pertinentium, defectum: unde Medicus vulgaria & minus ſalutaria præſcribere cogitur medicamenta. Quoties n. audiuntur à ſordidis hæ voculæ, quo pretio conſtabit pharmacum? egenus enim eſt, ſc. ſordeat, qui ſordeſcit, non lugebo, etiamſi pereas. Addo, quod ejuſmodi manus præparca Medicum minùs attentum ſedulumque reddat.

12. Nauſea, & naturalis impotentia hominis, qua omnia pharmaca averſatur & abhorret, ex qua antipathia breviorem vitæ terminum ipſe conſequitur.

13. Nonnulli auſu prorsùs temerario ſemetipſos in diſcrimen vitæ conjiciunt, & violentâ morte abripiuntur, ſuo exemplo comprobantes illud, quod dicitur: qui amat periculum, peribit in illo. Ejuſmodi οἱ φιλοκίνδυνοι ſunt etiam ſtrenui potatores, qui Principum gratiam & præmia ſplendida aucupari conantur immodicâ helluatione. Verùm iſtis militibus inermib. (eheu) ferè idem, quod vel peritiſſimis natatoribus non rarò ſolet accidere, qui nimiâ ſuæ artis fiduciâ plerunque undas altiùs ingreſſi, ſubmerſi intereunt, pretium pro ſtultitia ferentes.

14. Venenum in homine latens, tandemq; ſubitò prorumpens ac jugulans vitam breviorem facit: immò multis morbis quiddam occultum, quod malignitatem voco, inhæret, quæ curatione non attingitur, & ſic multi ex ignorantia & difficultate morbi citiùs vitam finiunt.

15. Cum æger ſibi imaginatur, morbum ſuum medelis omnibus eſſe ſuperiorem, de ſalute ſua deſperabundus dubitat, nec opē expoſcit medicam: hinc morbo periculoſo fractus vel celeriter perit, vel diutiùs afflictus ita exhauritur, ut amiſſas vires nunquā recipiens citiùs interire cogatur.

16. Sæ-

16. Sæpiùs culpa in pharmacoporum meritò devolvitur, cum non ad præſcriptum Medici vivit, ſed pro lubitu abſque conſcientia medicamenta mutat, quid pro quo ſubſtituit, & ſic proprio emolumento ductus in fraudem impellitur, abſque ulla medici culpa.

17. Medicamenta & materialia vetuſta, carioſa, ſæpiùs abſque odore & ſapore nobis obtrudúntur, quæ potiùs ſanitati obſunt, quàm proſunt. Succedaneis igitur opus eſt, cum divinâ benignitate apparatus remediorum præſtantiſſimorum nobis ſit in promtu.

18. Timiditas Medici, qui inſtar felis pultem circumeuntis timidiuſculè rem agit, qui vulgi & imperitorum judicia animo effœminato pertimeſcit, & fabellas mulierculárum majoris æſtimat (mihi oblatrarent, os impudens ipſis facilè obturarem) vitæ non parùm detrahit. Audacia verò plus derogare videtur: novi enim ejusmodi audaculos, qui modò deſperatis, modò valentib. nonnihil, ſpem ſalutis ampliſſimam pollicentur, & qui viciſſim ægrotos audacter ac inconſideratè morti adjudicant. Quæſo, ſuperbe Doctorelle, vel potius Aſelle, partem Σημειωτικὴν Medicinæ melius

addiſcas, nec tàm futilis ſis Experimentator, cur ſtatim feſtinas ad calamum & chartam inter chartas luſorias? audi priùs ægrum, & faſtum tuum ſuperbiamq; compeſce, nam vix me tua vincet arrogantia, & inconſiderata temeritas: inſulſe, prodi cum tuis narcoticis antipodagricis, quibus partibus nervoſis ſenſum & motum adimis, ut pœnam de te ſumere queat Magiſtratus politicus, ne tandem ſoſtra damnationis æternæ deportare cogaris: diſcas melius, aut ego te docturus ſum, ne amplius acervatim exportentur demortui, ut hactenus factum, & cogatur ſolicitus eſſe Magiſtratus de novo cœmeterio extruendo, propter copiam defunctorum.

CAPUT XLIX.

De Medicaſtris, quod ſint cauſa certiſſima & exploratiſſima brevioris vitæ, adeoq; ipſius mortis immaturæ.

PRodi foràs ſceleſte, nam in tui correctionem vel potiùs perditionem, ut & in admonitionem bonorum hæc à me proferentur. Vos Medicaſtros volo, ſi latina, ut notum eſt, non aſſequi poteſtis, Germanicè ſuo tempore vobiſcum loquar: Vos marſupiorum peſtes,

peſtes, veritatis, doctrinæ, honeſtatis hoſtes compello, panacearum mirificarum ſciolos, Latrones inteſtinos ac domeſticos, ſanitatis fures, mortis immaturæ ac præcipitatæ productores largiſſimos. An æquum putas, civem ſeditioſum, mediocriter Reipublicę ſtatum labefactantem, vel furem, privatim alicujus bona invadentem, interficere? ſanitatis verò vitæque non unius, ſed multorum depeculatorem perferre? Cur hoc ſeculum juſtitiæ ſuæ aciem, in ſceleratos convertendã, patitur hebeſcere? inter Medicaſtros primarium occupant locum Agyttæ ſeu circumforanei, à foro, in quo ſtentoreâ voce artē merceſq; ſuas prędicant, nomen habentes? Tales enim revera ſunt, cum in nundinis anniverſariis, aliquot miniſtris, ſeu Agyrtulis ſtipati, equoq; inſidentes forum magnificè ingrediuntur per ambages, torquati Aſini, piſtrinis digni. Sed licet Simia geſtet aurea inſignia, per prædam direpta, & detracta, manebit tamen Simia. Secedite pauliſper ſpectatores, date locum Magnifico Viro, convocanti Simias complures, en adeſt, accurrite. Narrat narrator, ſicut ipſius narraverunt patres, narrationem, quam memoriæ mandavit: cantilenam quotidiè eandem canit, ac ſpecioſo ſatis titulo, ad captandam benevolentiam ſeu pecuniam, aſtantes alloquitur.

Ex

Ex locis innacceſſis, novâque inſulâ paucis antehac cognita, mirabilem panaceam producit, Antimonium puta crudum, vitæ peſtem, ſaccharo involutum, ne fraus innoteſcat. Laudat venales, dum vult extrudere, merces, effigiem modò hanc modò illam, ferulâ malè tractatam, monſtrat, oſtentat bullas innumeras ab aliis per traducem coëmtas, ac precariò comparatas. De interfectorum imaginibus, quarum ſuſpendendarum atque exhibendarum numerum cunctę non caperent plateæ, altum eſt ſilentium. Mendacia ſua improbi execranda (connivente Deo) invocato divino numine, horrendis aſſertionibus comprobare audent, cùm ſint toti ex fraude & mendacio facti. Neſcio quàm accuratam Uroſcopiæ cognitionē jactitent, ſed nugę ſunt, nam mera mendacia ex urinis, quas ipſis offerri per alios curavi, pronunciârunt. Interim bonos viros linguâ petulantiſſimâ conſectantur, cùm tamen iſti perverſiſſimi nebulones ſputo noſtro nō digni ſint: nunc ad alia propero, plura de his dicenda reſtant.

Secundum locum medicaſtrorum ſibi aſſignat ſtolida plebecula, & aniculæ rudes ac indoctæ, quæ certè dupliciter errant, atq; alios in errorem deducunt, dum aditum indigentibus

digentibus ad veram Medicinam intercludunt, eoſque ad pharmacorum deteriorum uſum revocant, quæ ſuadentes non intelligunt. Qualis enim hæc ars, quando quodvis ex iis, quæ opem naturâ vel caſu attulerunt, rurſus in iiſdem affectibus, ac temperamentis diverſis ad experientiam traducitur? quænam Ars periculosè in ſubjecto tàm nobili vim remediorum tentans? inanis certè empiria, nullâ ratione ſtabilita.

Tertium deniſque locum nonnulli affectant pharmacopœi, ipſis Doctoribus doctios, ſcilicet, ſuâ quidē opinione valdè ſapiens, meâque ſententiâ non omninò delirans: heus bone vir, ſi doctior es Medico vecur deſideras ipſius Arcana? Narcanis dius: ſi verò indoctior, cur te non accommodas ad captum Medici? Mirabilis certè nporis viciſſitudo: olim pharmacopœi nt noſtri miniſtri, nunc nos ipſorum ferè os exoptant. Videmus, & non abſque ni dolore, plures jam noſtri temporis feſe Medicos, quàm ægros, nunc quid cœcecum ducere poteſt? qui ex uno atque o lotio aliquid conjicere poteſt, num i artificis titulum ſibi ſtatim arrogabit? rima Elementa Medicinæ guſtavit, num giſtrum ſe jactabit? qui unam alteramq;

potiua-

potiunculam, qualem qualem, præparare novit, naturâ quidem, cæterisque circumſtantiis ſecretioribus nondum examinatis,ac cognitis,num is evehendus, & neglecto interim Medico, admittendus? prudentioribus aliquando & Magnatibus rem omnem aperiam.

Si quid ejuſmodi practicus illegitimus inſtar cæcę columbæ, aſſequitur,non memorabilem ſanè ſucceſſum habebit: quisquis enim ſine artis fundamento accuratiùs perſpecto,titulis inanibus ac ſpuriis, plebeculæque miſeræ applauſu evectus, in ſacratiſſimā Medicinam debacchatur, ac felicitatem, benedictionemque divinam ſibi imaginatur, hunc Deus ipſe, & conſcientia ipſa tandem deſeret. Eos quoque graviter increpandos exiſtimo, qui ſine judicio Doctorum Virorum ſcripta evolventes, & modò hanc modò illam medendi formulam arripientes, corporibus ſuis adhibent: nam hi omnes vitæ telam, quæ aliâs productior fuiſſet,contra Dei voluntatem abrumpunt.

CAP. L.

CAPUT L.

ı ſenectus homini ſit optanda, quam longævitas affert.

Enectus ſecundùm Comicum ipſa eſt
ınorbus, multisque incommodis eſt ob-
ıia: immò plerisque ſic odioſa, ut onus
Etna graviùs dicant ſuſtinere. Miſera eſt
:ctus, à rebus gerendis homines avocans,
moriam minuens, inviſa junioribus, vi-
ıs exhauſta, delirans, carens voluptati-
,moroſa, anxia, iracunda, difficilis, ſordi-
tenax atque avara. Quid igitur eſt ſeni-
:tas, niſi optatum malum, mors viventi-
, mors ſpirans, & ut Virgil. canit in 3.
ɔrgicor.

ptima quaq; dies miſeris mortalibus ævi
rima fugit, ſubeunt morbi, triſtisq; ſenectus,
t labor & duræ rapit inclementia mortis.

alius Poët. Maximian. eandem vituperat:

:at tremulus, dubiusq; ſenex, ſemperq; malorum
Credulus, & ſtultus, quæ facit ipſe, timet.
udat præteritos, præſentes deſpicit annos,
Hoc tantùm rectum, quod ſapit, eſſe putat.
: ſolum doctum, ſe judicat eſſe peritum,
Et quod ſit ſapiens, diſpicit ipſe magis.
eſpicit auditor, nec deficit ipſe loquendo,
O ſolâ fortes garrulitate ſenes.

ıon eſt Encomium, ſed potius vituperium ſene-
:.

Verùm

Verùm hos nodos non difficulter ſolvemus, modò diſtinctionis neceſſitas obſervetur. Senectus quidem in univerſum frigida & ſicca dicitur, ratione ætatum præcedentium, quæ calido & humido abundant: non n. ſenilis ætas omni deſtituitur calore & humore, ſed paulatim frigidior ac ſiccior evadit, acciditque ſenio, quod marceſcenti ſtirpi. Ut enim ſtirpes, dum novellæ ſunt, molles humidæque tàm ad viſum, quàm ad tactum deprehenduntur: ſeneſcentes verò magis ad ſiccum declinant, tandemque ſummam ariditatem induunt: Sic etiam homo, licet vitæ primus ingreſſus ipſi copioſum humidum concedat, indies tamen longiùs procedens, magis magisque ſiccatur & areſcit, ita ut ad extremam ſenectutem perveniens, non modò oſſium, ſed & ipſius carnis ſummam ariditatem exhibeat. Diſtinguendum igitur illud, quod eſt in fieri, ab eo, quod eſt in facto jam eſſe. Quamvis enim ſenectus ætatum ultima dicitur, quod ea ad alias conſequatur, & ad interitum via ſit, ea tamen in tres ordines diſtribuitur: primus eſt eorum, qui crudâ adhuc viridique ſenecta ſunt, quod obire adhuc civilia negocia poſſint, nondum ſcilicet exhauſtâ ipſorum naturâ, dicunturque ὠμογέροντες: incipit hæc ætas in fine virilis & con-

conſtantis ætatis, nimirùm à quinquageſimo anno, & in ſexageſimum producitur, iis nimirùm, qui feliciorem à principiis generationis nacti ſunt naturam, nec ſubſidia ſenectutis in juventute perdiderunt. Secundus gradus ſeu ordo eſt eorum, qui amplius ob virium laſſitudinem obire civilia munia ſegniùs ac remiſſiùs incipiunt, in quibus illud Homericum locum habet: ut lavit ſumſitq; cibum, det membra ſopori, ἡ γὰρ δίκη ἐϛὶ γερόντων: incipit hæc ætas anno ſexageſimo, finitur ſeptuageſimo, & vocantur hi γέροντες. Multis tamen ejuſmodi ſenibus totalis abſumtio humidi, & mors ipſa noſtro ſeculo contingit: ideoque multi petunt quietem, & muneribus vacationem in tali ætatis ingraveſcentis termino, licet ad tempus aliquod ... ius officiorum ſuſtinere poſſent. Tertius & ultimus ordo, in quo extrema viriū imbecillitas, etiam in iis, quib. laudabilem firmamq; corporis conſtitutionem natura largita eſt, ſeptuageſimo uſq; ad octogeſimum annū plurimùm prorogatur, vitæq; finem pleraque imponit, teſte Pſal. 90. dicitur hæc ætas decrepita: hinc ſenes decrepiti, πέμπελοι, ... ernia, & abſque omni dolore expirant, aliter ac lychni lumen, cujus pabulum prorsùs abſumtum, paulatim deficit: ſic

ejuſmodi ſenes deficiunt, ac interveniente ſyncope, vitam claudunt. Atque in hac ætate potiſſimum habet locum illud, quod ab initio hujus capitis in ſeniis contemtum afferebatur.

Præterea omnis ætas gravis eſt, cui nihil ineſt opis ad bene beateque vivendum: nec naturæ neceſſitas, quo in genere ſenectus eſt, malum afferre dicenda eſt. Senectutem quò adipiſcantur, omnes exoptant, eandem accuſant adepti. Noli contemnere ſenium, ꝙ ipſemet expectas, admonent ſacræ literæ. Queruli quidem ſunt ſenes, at non omnes: neque verò in ætate iſtiuſmodi querularum culpa latet, ſed in moribus potiùs: permulti enim, Philoſophiæ præceptis addicti, ita moderari ſenilem ætatem poſſunt, ut neque difficiles, neque moroſi, modeſto æquoq; animo eandem jucundè ferant: immò artes, exercitationes virtutum, bona conſcientia, vitaq; honeſtè peracta, ſunt aptiſſima ſenectutis arma. Quare provecti ætate culpam potiùs in vitia, non in ſenectutem derivent, quę non propterea miſera dicenda, quod à rebus agendis nos abſtrahat, cùm res præclaræ non viribus, aut celeritate corporis, ſed conſilio & autoritate gerantur: nam pſtantior corpore animus eſt, immò maximas Reſpublicas ab adoleſcentibus labefactatas, concuſſas, & fermè

mè everſas, â ſenibus ſuſtentatas hiſtoriæ teſtantur. At, inquis, memoria minuitur, in ſtupidis concedo, ac decrepitis, ut & in ætatibus cæteris, niſi exerceatur atque excolatur. Delectantur Senes diligenti corporis culturâ, deliciis, ac roborantibus Medicinis tanguntur, nemoque eſt tàm ſenex, qui ſe annum adhuc non vivere poſſe putet. Deinde non orbantur autoritate Senes, ſed augentur, apexque ſenectutis eſt autoritas, ſibiq; perſæpè conciliat audientiam diſerti ſenis comta & mitis oratio: hinc in Senatu, ut quisque ætate antecedit, ejus ſententia principatum tenet. Non tamen cani, nec rugæ, autoritatem repentè afferre poſſunt, ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus præbet autoritatis extremos, ideoque ſenectus nequaquam eſt teſtimonium ſapientiæ ſatis fide dignum, vel omni exceptione majus: nam χρόνος οὐ διδάσκει φρόνησιν : & : πολιά, χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως : cani inditium ſunt temporis, haud ſapientiæ. Cœterùm parcentes præſidiis ſanitatis in juventute, nec aſotia profundentes ea omninò in ſenectutem roboris aliquid priſtini conferunt, cujus ope muneribus publicis commodè atque utiliter præfici deinceps poſſunt.

Addo, quod virium languor non proprium ſit ſenectutis vitium, ſed invaletudinis, cum nec adoleſcentes ſemper valeant, ideoq; refectiones virium attenuatarum quærendæ, & adhibendæ ſunt, pugnandumque contra ſenectutem, ut contra morbum, de quibus pars practica hujus libelli monebit. Si quod delirium ſenibus accidit, nonnullis tantum ea obtingit, præſertim ſtolidioribus, vel infirmiſſimis, & ferè exhauſtis.

Quocirca plerunque ſapientiam auget ſenectus, & maturiora præbet conſilia: voluptatibus inſuper modum imponit, ac libidinis impetus frangit. O præclarum munus ætatis: ſiquidem id aufert à nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum: nam ſenectus voluptates nullas magnoperè deſiderat, caret epulis, extructiſque menſis, ac frequentibus poculis; ideoque magis laudanda: modicis tantùm voluptatibus, ſanitatis gratiâ delectatur, & ad prorogandam vitam, naturali quodam motu compulſi, ſenes modicis ac rorantibus titillationibus afficiuntur, nullo cum dedecore ac turpitudine conjunctis. Nam blanditiis iſtis agreſtioribus ſatiati & expleti in juventute, jucundius eſſe carere exiſtimant, quàm frui: quanquam non caret is, qui non deſiderat. Et ſummatim ut dicam:

dicam, ſenectus eſt in bonis moribus dulcior, in conſiliis utilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines fortior, ipſaque infirmitas corporis ſobrietas eſt mentis, quæ laborum præteritorum recordatione recreatur.

Moroſi ac difficiles ſunt ſenes, non ratione ſenectutis, ſed morum & vindictæ: nam in fragili corpore odioſa omnis eſt offenſio, dum ſuſpicantur juniorum illuſionẽ. Laudatur etiam comitate condita gravitas, ſeu ſeveritas modica: improbatur ſordities.

Sophocles ætate jam ſenior, cùm à quodam rogaretur, an etiam rebus nunc uteretur venereis, dic meliora, inquit, libenter n. iſtinc, tanquam ex aliqua furioſa dominatione, profugi. Denique ætas ſenum inter hoſtes etiam venerabilis eſt, immò inter Deos, teſte Homero Iliad. 23.

Εἰδόσιν ὔμ' ἐρέω πᾶσιν, φίλοι, ὡς ἔτι καὶ νῦν
Ἀθάνατοι τιμῶσι παλαιοτέρους ἀνθρώπους.

Scientibus vobis dico omnibus, Amici, quod adhuc & nunc immortales honorant ætate provectiores homines.

Et Ovidius inquit:

Magna fuit capitis quondam reverentia cani.

Sunt enim exempla graviorum morum & honeſtarum actionum, experientiâ ſæpè ju-

juniores antecellunt, ideoque conſiliis ſuis à communi utilitate minùs aberrant: Reconciliatur etiam in ſenectute DEUS per priores ætates laſcivientes offenſus: ꝙ non in hunc finem addo, ut ætatis tuæ feces DEO, annos verò floridos Diabolo conſecrare debeas.

Ex his omnibus planum evadit, non modò longam vitam, ſed etiam ſenectutem, quæ comitatur ipſam, modis omnibus eſſe expetendam.

CAPUT LI.

An Senectus ac Mors retardari poſſint ac debeant.

QVemadmodùm & violento & naturali quodam modo calor in hominib. aboletur: violento quidem, cùm vel homo ſuiipſius interitus cauſa eſt, vel violenter ab alio interficitur: naturali verò modo, propter ingenitam illam neceſſitatem, quæ hominis ſtatum decurſu ætatis in ſicciorem, graciliorem, rugoſiorem, tandemque magis invalidum, deficientemque transmutat, unde mortem neceſſariò ſequi neceſſe eſt: Sic ſenectus quædam violenter, quædam naturaliter oboritur: cum namque in nobis totius

totius ſubſtantiæ perpetuus ac indeſinens ſit fluor, dum quotidie, ſingulisque momentis, nobilior portiuncula corpori noſtro derogatur, ac ſubtrahitur, unde magis magisque invalidi reddimur, etiamſi omnia præcepta Medica ad amuſſim obſervemus, quid quæsò de iis fiet, qui hoc malum defluvii ꝓpriâ temeritate promovent? Hi igitur ad vitæ terminum à DEO quidem præviſum, ſed nõ præfixum, citiùs deveniunt, vel ex alimenti inopia ac defectu, unde humidum contabeſcere neceſſe eſt; vel ex intemperantia & ingluvie, unde calor nimis obruitur, & humidum inquinatur: vel ex immodica venere, intempeſtivâ vigiliâ, mœrore animi, unde calor properanter atteritur, & humidum vehementiùs ſiccatur: vel ab aliis certè cauſis externis langueſcit, quæ præter ætatis rationem, ac naturæ curſum, feſtinatam ſenectutem, mortemque inopinatam accelerant. Hinc multos ſeniculos corpore vegeto ac ſucculento, membris validis, ingreſſu firmo, crudâ prorsùs viridique ſenecta videmus, qui certè multos juvenes, ſi lucta eſſet inſtituenda, robore ſuperaturi, palmamque deportaturi eſſent, non ob aliud, quàm quod in prioribus vitę partibus moderati, nec cupiditatum lenociniis immodicè dediti fuerint.

Ex adverſo multos ſenes non admodum adultos, omni vitali ſucco exhauſtos, ac planè emaciatos videas, non quod culpa primis principiis, minùs benè diſpoſitis, aſſignanda ſit, aut quod in Educatores ac nutrices cauſa recidat, (licet parentes leniores ſæpiùs hac de re accuſandi ſint) ſed in anteactæ vitæ temeritatem, & luxuriem crebriùs repetitam. Hinc juvenum quoque non pauci conſpiciuntur elumbes, enervati, areſcentes, exangues, quod tota pubertas ac juvenilis virtus immoderato voluptatum uſu adeò ſit exhauſta, ut flos ætatis attritus non ſufficere queat ad inſequentium ætatum ictus atque injurias excipiendas, ac perdurandas. Ut enim flores Martii, quibus ineunte vere nihil pulcrius, atque amabilius, aquilonio urentique vento decuſſi, marceſcunt: ſic omnis juventus ac floreſcens ætas, inſigni exantlato incommodo, intempeſtivè atque ante maturitatem labaſcit, areſcit, ac defloreſcit: Ineunda igitiur ratio, qua valetudo firma per omnes ætates ſubſiſtere, atque in decrepitã ætatem, quò minùs ea gravis ac oneroſa ſit; propagari queat; Aut ſi fortè concuſſa fuerit, qua ratione erigi, fulciri, & pro viribus reparari poſſit: ſæpiùs enim nobis invitis, rebus ſecundis vel adverſis, fortunæ ſucceſſu, vel

receſſu,

receſſu, multa obveniunt, quæ valetudinem comminuere ac conterere poſſunt, cum humanæ naturæ conditio ſit fragilis, caduca, & momentanea, variiſque mutationibus expoſita, quas tamen prudentiâ & ſolertiâ noſtrâ non tantùm antevertere, ſed & corrigere, lenire & ſic moderari poſſumus, ne tàm citò cogamur ſuccumbere.

Cùm verò, DEO & fortuna, & virtute medicamentorum aſſiſtente, ad iſtas ſeniles qualitates frigidi & ſicci deveneris, non debes animum inducere, quaſi mors jam jam immineat, & hora vivendi elapſa ſit. Abjectâ enim ſpe longioris vitæ, abjicitur & ratio tuendæ ſanitatis, & negliguntur omnia media, quę ad illam cuſtodiendam quovis modo conducunt. Quamvis enim extrema minetur ingraveſcens ætâs, non eſt tamen quod ſpes propterea infringatur, aut curandi corporis induſtria langueſcat: ſed dum aliquid vitæ ſupereſt, dum ſpiritus trahitur, adminicula & fomenta, quæ uſui eſſe poſſint in producendis annorum ſpatiis, ſapienter adhibere nemo deſinet. DEUS, ut & boni viri nôrunt (nec idcirco glorior) curæ meæ ſubjectos fuiſſe ægrotantes ſenio confectos, graviterque afflictos, qui morti fuerunt plurimorum ſermone deſtinati, divinâ pariter ac

Hujus vitæ productioris conſequendæ fiduciam nemo improbare poterit, ac licet impoſſibile ſit, ſenectutem prohibere, velocitatem tamen ejus inhibere, poſſibile, ſi calor & humor iñatus tùm in ſingulis membris, ac viſceribus, tùm maximè in corde confortetur, ubi enim eſſentiæ cordis & epatis humidiorem aëriamque virtutem, cum calore temperatam, in ætate virili adjunxerimus, voti profectò compotes reddemur.

Quod verò in vigore iſto ætatis accedere debet, illud induſtriâ noſtrâ ſubinde poſthac repetendum, nec unquam à præſcripto deſiſtendum: ſiquidem hortulus calore Solis exiccatus, fructibusque ferendis exhauſtus, & irrigatione & ſtercoratione opus habet: illâ quidẽ, ad humectandam ariditatem, hac verò ad calefaciendã & ad reſtaurandam fœcunditatem, interioremque naturam vegetandam.

Non obſcura reſtaurationis natura ac vis eſt in agris, pratis ac hortis, ſed num mors etiam in hominib. ſalutari artis operâ retardari poſſit, non immeritò quæritur? Facilis ſanè reſponſio, nam quidni poſſit, cum in hoc artis noſtræ virtutem cernamus univerſam eſſe poſitam, ut prædiis ſalutaribus adhibitis hominem à morte præſervemus?

Liberan-

Liberantur enim ægroti doloribus immenſis, morbis acutis & magnis, immò ipſa morte, artis medicæ beneficio: & fatentur ipſi ægroti, morbo graviori per Medicum levati, ſeſe mortem ipſam evaſiſſe.

Quod ſi vitam extendere poterimus, quidni etiam mortis vim inhibere, ac differre? ſciendum tamen, annos ad ultimam ſenectutis metam protractos, quæ proxima eſt via ad corruptionem, nullo ingenio medico retardari poſſe: notandum & hoc, quod ſuperiùs monui, terminum vitæ in aliis longiorem, in aliis breviorem definiri, ratione bonitatis naturæ, per actæque vitæ.

Quamobrem magnoperè redarguendi ſunt ii, qui neſcio an avaritiæ diabolicæ, an contumaciæ & improbitatis vitio compulſi, bonorum conſilia de admittendo pharmacorum uſu imprudenter reſpuunt, cùm tamen omnes naturâ vivendi deſiderio teneamur, adeò, ut ſi quid vitæ contrarium noverimus, implacabili odio idipſum abhorreamus, ac deteſtemur: tanta corpori cum vita interceſſit amica familiaritas ac neceſſitudo. Hoc tamen fœdus ſupervenientes moleſtiæ divellere conantur, quibus excitata caro ad refectionis odium ſolicitat ac ſtimulat ſpiritum: hinc ſicut illecebrarum cupiditate ardet

det incredibili: ſic & pernicioſâ ſolicitudinū commovetur anxietate,cui dum venatrix illa deliciarum diutiùs paululùm ſubjecta eſſe cogitur, paulatim incipit tædere vitæ, cujus obſequia permixtis incommodis, quaſi felle perunсta, facilè tranſeunt in amaritudinem. Unde naſcitur turpis ac ridiculoſus mortis appetitus,quem ſuggerit melancholia,triſtitiæ ſedes ac fomentum. Hinc omnes melancholici timent, mœrent, vitam damnant, odio homines habent, ſed non omnes mori cupiunt: nam plurimi mortē pertimeſcunt, quanquam alii mortem quidem metuant, & tamen mortem ſibi conſciſcant. Degeneres etiam, quos conſtat tædere laboris, compelluntur ad hoc, ut vitam ducere, vile quid reputent, ignaviæ verò, eximium. Nemo itaque mortem ſibi exoptet, cum quotidiè moriamur, ſingulisque momentis aliqua pars vitæ inſenſibiliter decidat: retardanda potiùs quovis ſtudio Mors&Senectus,cujus moram Natura ad conſervationem ſui continuò deſiderat.

CAP. LII.

CAPUT LII.

De cauſis occultis prolongantibus vel abſcindentibus vitam.

MIretur forſan aliquis, nec quicquam Arti noſtræ tribuat, nonnullos intuendo longævos, qui tamen antea, in fœdiſſimo voluptatum cœno volutati, præſidia ſanitatis videntur miris modis infregiſſe: quidni enim venenata iſta & peſtifera voluptatum expiratio humidum radicale inquinaret, & aſſidua alteratione affligeret? Videmus Aulicos nonnullos tantâ luxurie diffluere, ut ſe in morbum delabi putent, ſi genium defraudarent, nec in priſtina malè vivendi conſuetudine perſeverarent, qui nihilominùs longævi exiſtunt. Immò multi virium languorem ac reſolutionem percipiunt, niſi vel poculis, vel ſomno meridiano, vel aliis rebus illicitis indulgeant. Tanta certè conſenſio conſuetudinis eſt cum natura, ut earum altera in alteram tranſeat: quod enim conſuetum eſt, id ipſum jam naturale evaſit, etiamſi antea vitioſum eſſet. Hinc Hippocrates & Galenus conſuetudinem vocant naturam aſcititiam, ſeu acceſſoriam, cum per illam inducatur atq; imprimatur habitus quidam aſcititius,

aſcititius, ſeu vis quædam & facultas, per crebras diſpoſitiones, actiones & uſus acquiſita, quæ naturæ noſtræ ingenitæ perinde ſit familiaris, ut ea ipſa eſſe videatur, licet ab externo principio promanaverit. Nam vel mente vel corpore agendo, & frequenter eidem rei incumbendo, comparamus nobis habitum, ſeu conſuetudinem, cujus beneficio moleſtiæ & labores rei pertractandæ omnes fiunt leviores, ac ſæpenumerò jucundiſſimi, cum quaſi nobiſcum nati deinceps videantur: & ſic Natura veluti mancipium conſuetudinis redditur non ſecus ac verbera ſæpiùs repetita, & Mancipiis inflicta, callum quendam ſenſibus obducunt. Quocirca & voluptates, alioquin vitæ peſtiferæ, frequenter iteratæ, & corpori immerſæ, potius ſalutares futuræ ſunt; nam magna vis eſt conſuetudinis: Unde Hippocr. lib. 2. Aph. aph. 49. & 50. idipſum confirmat, cum inquit: Conſueti ſolitos labores ferre, etſi invalidi, aut ſenes ſint, faciliùs eos ferunt, quàm qui non ſunt aſſueti, quamvis robuſti ac juvenes. Quæ longo tempore conſueta ſunt, etiamſi deteriora, minùs iis, q̃ inſueta ſunt, moleſtare ſolent. Et Celſ. lib. 1. cap. 3. omnem laborem faciliùs puer & ſenex, quàm inſuetus homo ſuſtinet.

Attende,

Attende, quanta vis ſit conſuetudinis vel bonæ, vel malæ. Nam per conſuetudinem naturæ familiaria redduntur, quæ antea erant eidem valdè noxia, átque inimiciſſima: quodque familiare eſt naturæ, innoxium eſſe ſolet, cum quaſi vinculo quodam conſuetudo cum natura copuletur, ac conglutinetur. Qui poculis minutioribus evacuandis aſſueſcunt, ij grandiora tandẽ facili laboro, cumq; virium tollerantia, exinanibunt: immò nonnulli ſingulis diebus vel ſeptimanis ſingulis ſemel non inebriati vitam ſibi acerbam eſſe putant. Alii à cibis quibuſcunque peſſimis nihil offenſionis percipiunt, v. gr. à fungis, oleribus, fructibus, & leguminibus crudis & inconcoctis, à carnibus & piſcibus fumigatis, ut & ab aliis leviuſculum ignis calorem perpeſſis (Wanns noch Reuter gar iſt) quæ omnia tamen alii difficillimè ferunt. Immò non tantum ciborum malignitatem, & alia, ex plenitudine provenientia incommoda, ſed etiam veneni perniciem conſuetudo ſuperat, ipſumque corruptionis noxâ ſpoliat. Sic de puella Napello nutritâ legimus, quæ cum modicè atque ſenſim venenum id devoraſſet, eo inpoſterum abſque ulla noxa, obſumendi conſuetudinem uſa eſt. Si igitur venenum natura tollerare poteſt, quidni etiam

iam graviores in diæta lapſus ? quo conceſſo, corruere videtur omnis de producenda vita inſtitutio, omniſque ratio de ſanitate ineundâ negligenda erit. Ruſtici certè plerunq; ſalubriores ſunt civibus, etſi hi plura uſurpent medicamenta, iſti propemodùm nulla, vel ſaltem perpauca, qui nullis diœtæ legibus ſe obſtringi patiuntur.

Præterea ſi copia humidi radicalis, ut ſæpiùs dictum eſt, vitæ noſtræ fulcrum verè ſtatuendum eſſet, nulli certè macilenti, breviſque ſtaturæ homines ad juſtam ſenectutẽ pervenirent, cùm tamen ejuſmodi non paucos ſenio confectos, vix oſſibus hærentes, videamus, civilibus muneribus, aliiſque actionibus feliciter & laudabiliter præeſſe ?

Sed ad illata primùm reſpondeo & concedo, à multis, non ſolùm Aulicis, ſed & à compluribus aliis comeſſationes ac compotationes in multam noctem creberrimè, citra virium jacturam evidentem, protrahi, nec ullum ferè ingluviei modum ab illis obſervari; ſed vitam ſimul protrahi poſſe, conſentaneum non eſt. Nam ſtrenui iſti crapulalatores, quibus proba temperies, & firma corporis compago à natura conceſſa eſt, impunè ad tempus genio indulgent, & noxas clanculùm irrepentes, propter naturæ robur,

quod ſubinde collectarum ſuperfluitatum particulam aliquam rurſus expellit, partimque adminiſtrante calore conſumit, ad ſenſum non percipiunt; donec tandem in ætatis flexu, cum profuſæ atque effrenis libidinis ſuæ pœnas, tali labore dignas, perſolvere coguntur, detrimentum corpori per tincturam indelebilem incuſſum, manifeſtè ſentiant, dejecto nimirùm virili robore, ſuccisq; vitioſis, progreſſu ætatis paulatim accumulatis. Unde alius, utpote miles emeritus, ſtipendii loco pro labore exantlato, corripitur podagrâ, alius calculo, colicâ, hypochondriacâ, cachexiâ, catharrhis &c.

At licèt ejuſmodi bibuli interdum nullas, quod rariſſimum eſt, in ſenectute ægritudines cogantur experiri, citiùs tamen coguntur ſuccumbere, quàm ſi dimiſſis poculis, cum geniis potiùs belligeraſſent. Novi, complures ejuſmodi ſervos Bacchi emeritos, opinione celeriùs è vita diſceſſiſſe.

Quod autem in vigore ætatis ejusmodi exceſſus citra notabilem noxam à natura perferantur, illud cumprimis ad laudabilem corporis conſtitutionem, probamque temperiem, quæ occulta deliteſcit, rejiciendum eſt. Quamvis enim fortes creantur fortibus, eſt tamen in confeſſo, etiam à fortibus debi-

les, & viciſſim à debilibus nonnunquam fortes procreari, quod quidem non primis iſtis principiis ſeminis ac ſanguinis materni imputandum eſt, ſed potiùs cuidam occultæ aſtrorum influentiæ, cujus virtute ſubjectum corpus aliàs magis nobilitatur, aliàs hebetatur, pro diverſa diſpoſitione agentis, patientisque, ad recupiendam formam idonei, aptitudine.

Hinc adeò fit, ut humidum illud in exuccis & macilentis ſæpiùs ſit elaboratiſſimũ, ſpirituoſum, abſque excrementitio humido infectum, ἀνάλογον aſtrorum elemento, adeoque divinæ, cœleſtis, & immortalis naturæ magis particeps, quod difficiliùs à cauſis vel internis vel externis oppugnatur. Tales igitur maximè ſunt longævi: plurimùm namq; de calore aërio ac vitali, partibus ſolidis χιλικῶς ſeu firmiter infixo participant, cùm ex contrario multi præditi videantur humido copioſiori, quod tamen potiorem partem de natura Elementari, aqueâ nimirùm, ſortitum eſt, quod cauſis ſanitatem interturbantibus minùs reſiſtit.

Ut igitur vir præclarus actiones edit laudandas, quæ felicem ſortiuntur eventum: ſic & egregiæ ſanitatis actiones à facultate

ſalubri ac temperatâ profectæ, feliciter & inculpatè educuntur, & ad ſperatum decrepitæ ſenectutis exitum perveniunt.

Utque in hoſtibus naturæ, morbis ſcilicet, θεῖόν τι & malignitas quædam ineſt: ſic & in aliquibus naturis τὸ θεῖόν τι, quod eſt divina quædam benignitas, humido & calori primigenio infixa & circumfuſa, deprehenditur: quod ipſum licet in ergaſtulo tenui viſus ſenſu minùs percipiatur, ſiquidem aridi & exhauſti ſenes nonnulli per aliquot annorum ſeriem incedunt, ut eoſdem vix annum integrum vivendo ſuperare jurares: altè tamen interioribus viſceribus epati cumprimis ac cordi vitalis ſuavitas immerſa eſt, ut difficillimo labore, tanquam in munitiſſima arce Princeps latens, expugnari poſſit.

Præterea ſciendum, gulæ & abdomini nimiùm deditos ſemper aliquid, ipſis etiam ignorantib. agere, quod exceſſus commiſſos aliquo modo corrigit: & ſic, intemperantes in aliquib. obſervare ſanitatis regulas, ſtatuēdum: modò enim aromatibus cibos delicatiores aſpergunt, unde pauciora colliguntur excrementa, modò exercitiis corporis indulgent, & ſecundis ferculis adjiciunt nonnulla, q̄ medicamentorum vicem quodammodò ſupplent, ut taceam de Magnatum

cura

cura & ſolicitudine,quâ corpus ſæpenumerò Pharmacis, in tempore adminiſtratis, præſervant.

Minùs etiam noxæ in conviviis ſplendidioribus corpori accerſitur, ſi anima ſimul vel jucundis colloquiis,vel ſuavi Muſices harmoniâ excitetur, ac foveatur: tunc enim calor & ſpiritus ad exteriora moventur & incaleſcentes moderatâ gaudent irroratione, cui ſi forſan accedat exceſſus, minore cum moleſtia ſuſtinetur.

Conſuetudinem quod attinet, fatendum, illi pro re nata indulgendum eſſe: monet tamen Hippocrates, etiam ad inſueta mutationem eſſe faciendam. Cavendum igitur, ne in ſecunda valetudine adverſa præſidia, quibus in ſenectute indigemus, amittantur,ac dilapidentur: Poſſunt enim multi exceſſus ferri in flore ætatis & abundantia caloris, qui circa ſenium tandem prumpentes, morbos inducunt contumaces.

Circumſpecti ac providi Agricolæ non tantùm in præſens ſibi conſulunt, & quæ ante pedes ſunt, vident, ſed etiam de futura neceſſitate ſunt ſoliciti, temporiſque opportunitatem ſic obſervant, indeque præſidium æſtate comparant, quo injuriam hyemis, inopiam; & reliqua ſenectutis incommoda,

cibi cum natura: aſſuetudine enim & uſu fit familiare naturæ id, cui aſſuevimus. Hinc in libello de cibis boni & mali ſucci idem Galenus inquit: quisquis exercitatione multâ uti, ſomnoq́ue ad ſacietatem poteſt, eamq́ue ſibi vitæ rationem delegit, quæ publicis negociis, forenſiq́ue labore minimè impeditur, is ſanè craſſi lentiq́ue ſucci cibis veſci poteſt, ac tùm præcipuè, horum uſus frequentior parti hypochondriorum dextrę nihil vel gravitatis, vel tenſionis afferet. Cui verò ætas aut conſuetudo obſtat, quin exerceri ante cibum poſſit, ejus generis victu omninò abſtineat. Et ſic refutatur ſimul illud, quod de Ruſticis objiciebatur, cujus rei enodationem ſupra etiam initio hujus libelli cap. 3. videbis.

Quod ad cauſa occultas vitæ abbreviatrices attinet, illæ partim ex modò allatis petendæ, partim aliundè accerſendæ & inveſtigandæ. Quando enim humidum illud & calidum, in prima conformatione inſertum, non eſt cœleſtis, ſpirituoſæ, & aëriæ naturæ per omnia particeps, tunc deteriores vitæ operationes, quæ & facilè intercipiuntur ac ceſſant, ſubſequi neceſſe eſt:

exempli gratiâ: ſuccus alicujus herbæ expreſſus eſt quidem de eſſentia nobiliore iſtius herbæ, quæ prælo ſubjicitur, verùm is facilè, niſi ſubſidiis quibuſdam conſervetur, putreſcit ac corrumpitur. E' contrario, herbæ eſſentia, Artificis operâ præſtantioris extracta, longè diutiùs durat, & præſtantiores operationes urgente neceſſitate, profert. Sic quò nobilior, purior, & magis elaborata, ac fœcunda corporis eſſentia prima, eò firmiùs ac tenaciùs inhærebit corpori, eoque operationes eximiores diffundet, nec tàm facilè progreſſu ætatis detrita evaneſcet: at impurior, languidior & magis elementaris eſſentia faciliùs ab externo alterabitur ac deſtruetur.

Porrò vitam deſtruentes cauſæ minùs obviæ & apertæ ſunt ſidera, quæ nunc benignã, nunc pernicioſam qualitatem deferunt, hominique tùm in primo exordio, tùm ſucceſſu temporis aſpergunt: veruntamen nullam neceſſitatem ſeu coactionem longitudini vel brevitati vitæ imponunt: Siquidem variis caſibus terminus alioquin longior futurus, interrumpi, & vice versâ anguſtior nobis viſus prudentiâ&ſolertiâ noſtrâ in ſpatium longiſſimum extendi poterit.

Quanquam verò venena limites vitæ

pro-

productiores contrahere ſolent, poſſumus tamen arte ac prudentiâ aſtutiam & improbitatem hominum prævenire, & ſi quæ venena ſunt hauſta, quorum præſentiam ſigna nonnulla patefaciunt in parte practica, poſſunt tamen rursùs per vomitum excuti, ne vitam peſſundent.

Cautum itaq; ac circumſpectum eſſe decet ſanitatis ac longævitatis Studioſum, & ubi ſuſpicio veneni eſt, cautè guſtandus cibus & potus oblatus, ac primoribus duntaxat labris attingendus, num extraneum aliquem ſaporem vel odorem, qui venenum prodit, referat. Ac licet illa cauſa venenorum abditior, & abſtruſa, ſupra elementorum conditionem, (ut taceam, quod ſit clanculùm corpori obtruſa, vitæque infenſa) non in corporis temperamentum, ſed in totam illius ſubſtantiam, calore & ſpiritu contentam, adeoque in Principem vitæ primùm ac per ſe inſiliat, ſæviat, eique perniciem ſubitaneam, interitumque minetur, poſſumus tamen arte & conſilio eidem malo in tempore occurrete, mortemque generalibus quibuſdam antidotis avertere.

Magna certè brevioris vitæ culpa redundat in Medicos, q inveſtigandi ſolicitudine abjectâ vehementiſſimos quosq; morbos, nullo

delectu vel ad plethoram, vel ad cacochymiam, vel ad obſtructionem, aut ad putredinem referunt. Hinc nihil aliud, quàm has ipſas cauſas per totam vitam audies illos circumferre, eandemque cantilenam, eademque Recepta perpetuò ad nauſeam uſque intonare, quaſi verò nihil majus poſſit in corpus irruere; ut Hippocrates noſter in correctionem iſtorum non immeritò ſcriptum reliquerit lib. de priſca Med. ubi hæc extant verba: Medicorum plerique malorum navium gubernatorum mihi ſimillimi videntur, qui ſi tranquillo mari navem regunt, nemo eos peccare deprehendat.

Quod ſi eos vehemens ventus aut tempeſtas oppreſſerit, jam omnibus manifeſtè conſtat, eorum imperitâ & culpâ navem fuiſſe perditam. Ad hunc ſanè modum imprebi plerique Medici, dum leviter affectos curant, in quibus vel graviſſimi errores commiſſi, nihil periculi admittunt (cùm multi hujusmodi morbi ac longè frequentiùs, quà graviores, hominibus contingant) in iis quidem ſi delinquant, plebeios latet. Ubi verò in magnum & vehementem, ac periculoſum morbum inciderint, tùm ipſorum ars & errores omnibus ſunt conſpicui.

Quare probè & accuratè dignoſcendi ſunt

ſunt morbi (non facilis eſt ars medica, ut multis videtur) manifeſti ſcilicet ab occultis, leviores à vehementibus, ſimplices à complicatis: non enim una eſt cauſa tàm Epidemiorum, quàm peſtilentium, contagioſorũ & venenatorum morborum. Neq; venenati morbi ſimpliciter, & venenati contagioſi confundendi ſunt invicem: in utrisque enim latet peculiaris quædam malignitas: taceo, ꝙ multi morbi vulgares & contumaces ꝓpter eâ incurabiles relinquantur à nonnullis, quod non perſpiciant aut cognoſcant eam malignitatem, quæ morbo latenter inhæret, eumque fovet, ſed vulgari curandi methodo procedant. Hinc ægri, ſpe ſuâ fruſtrati, miſerrimè decumbunt, & qui Medici palmam aliis præripere volunt, hi ſæpiùs graviſſimè impingunt, ægrumq; ad Orcum demittunt, nondum completo vivendi termino.

Cæteros caſus inopinatos, quibus vita violenter abrumpitur, ſciens prætereo.

CAP. LIII.

CAPUT LIII.

An natura fragilis ſui tranſmutationem admittat: & num regulæ de diæta ſuperiùs præſcriptæ, ab ullo homine poſſint obſervari?

DIctum eſt in capite præcedenti, & alibi, eos qui à natura nobilioribus principiis donati ſunt, magis vitales eſſe, quàm eos, qui iſtis præſidiis deſtituti, naturam ſortiti ſunt ignobiliorem, in qua calor cum humido citiùs flacceſcit: quorſum igitur præcepta medica ſpectabunt, cùm inanem operam in natura deflectente corrigendâ, inſumere videamur, lege naturæ idipſum prohibente, ac reluctante: τὸ γὰρ πολυχρόνιον ἦθος ἀμήχανον ὅτι θεραπευθῆναι, καὶ τὸ ἀποςῆναι χαλεπὸν φύσεως? Addo, quod natura noſtra lapſu τῶν πρωτοπλάςων adeò corrupta fuerit, ut ſemper ad malũ inclinemus: nam non, quod volumus, bonum hoc facimus: ſed quod nolumus, malũ, hoc agimus, nihilque magis inſidiatur vitæ, quàm peſtiferæ voluptates, præſertim cibi & potus ἀσυμμετρία, quæ multum juris ac dominii in vitæ noſtræ perniciem tenet, nec non cæterorum exceſſum multiplicem invehit.

Verùm

Verùm propter hanc ipſam cauſam, quia fragiliorem te finxit natura, nutrices ſanitatis cauſas accuratiùs obſervabis, procreatrices morborum, quantum in te eſt, removebis, futuram que tempeſtatem veluti è ſpecula cernens averſaberis, nec committes, ut propter innatam illam fragilitatem ſpes vitæ longioris infringatur, & langueſcat induſtria. Ejice igitur hanc animo mollitiem, gratias age potiùs naturæ, quæ imbecilliorem te conformavit, quò valetudinis major tibi, quàm aliis, qui in diem vivunt, ſpectandi detur occaſio: nemo enim deſperatione debilitatus experiri id metuat, quod aſſequi ſe poſſe ſperet. Multi certè propter illam μικροψυχίαν, dum ſanitatis & Medicinæ curam abjiciunt omnem, brevioris vitæ ſunt.

Quod autem de naturæ noſtræ corruptione infertur, fatendum eſt, mentem humanam ab integritate ſic aberrâſſe, ut peſſima pro optimis amplectatur, cùm tamen natura deſtructionem ſummoperè reſpuat. Tuum itaque eſt, voluptatibus noxiis planè domitis, & ſubactis, jugum rationis imponere, concupiſcentiis reluctari, & ſemper in melius acriter reniti, atque obluctari.

Qua-

Quapropter menti quoque proſpiciendum de præceptis Philoſophiæ moralis: Siquidem ob arctiſſimam utriuſq; partis tàm corporis, quàm animi cognitioné & conſenſum, operasque mutuas, quas invicem tradunt, non mirum, ſi animi vitia redundent in corpus, corporis contrà morbis in animũ mentemque tranſlatis. Hinc & cognitio ſapientiæ, Medicinæ ſoror ac contubernalis eſſe creditur: nam ſapientia animam ab affectib. liberat: Medicina verò morbos à corporibus auffert. Itaque longævitatis amans rerum expetendarum vitandarumque ſcientiâ informandus, & cum nutricis lacte moribus quàm probatiſſimis imbuendus, ne quid cupidè, ne quid impotenter, ne quid improbè committat.

At, inquis, ſeveræ nimis præceptiones, quæ à nemine obſervari poſſunt, ſpem longioris vitæ interrumpunt. Cum namque verſemur in Mundo, & impoſſibile ſit, æquali prorsùs lance ac trutinâ, quæcũnque ad diætæ rigorem requiruntur, expendere, quoniam fines præſcriptos ſæpiùs inſcii in itinere, & converſatione politicâ, interque negociorum ſarcinas tranſilimus (ob actiones enim ipſius mentis præſtantiores interdum corporis cura negligitur) adeò, ut propter erro-

errores innumerabiles admiſſos, ſuperiores iſti Magiſtri, Hippocrates & Galenus, ſi in vivis adhuc exiſterent, nihil ampliùs acturi eſſent, quàm irremiſſo labore in delinquentes animadverſuri.

Quotus enim quisque eſt, qui non aliquandò, in calidis regionibus iter faciens, offenſam capiat, ſi præſertim gelidiorem potum immodicè hauriat, plenisque faucibus arripiat? quis brumali frigore non concutitur, indeque non parumper læditur? quem non aliquandò pocula diurnâ nocturnâque manu verſanda turbant? quem non concitatiores corporis ac animi motus afficiunt, premunt & obterunt? quis non aliquandò ſomni & vigiliarum terminos ſanitati addictos transgreditur? quis ſtatim ſuperfluitates, cum natura urget, citra moram ſemper deponit? quem non ſors volubilis ac præceps nonnunquam affligit, afflictum proſternit, deque ſalubri conſtitutione dejicit?

Non diffiteor, humani ab hominibus nihil alienum poſtulari, & errores leviuſculos interdum tollerari poſſe, nemo Medicorum eſt, qui contradicat: ſed enormes ac quotidianos ſummoperè valetudinem proſternere, dubium non eſt.

Neque

Neque tamen fretus Medicis ſubſidiis, licentiam ad quævis perpetranda conceſſam eſſe, incontinens & aſotus ſibi perſuadebit: Siquidem evacuationes aliaque media complura non in hunc finem ſunt inventa, ut eadem loco Antidoti præſentiſſimi quorumlibet exceſſuum velles implorare: ſed poſito, ſint imminentis morbi Antidota, ſed brevioris vitæ, num ſint eadem, ſi nullus poſthac voluptatibus imponatur modus, valdè dubito. De corrigendis erratis diætæ, aliud nobis caput in parte practica propoſitum eſt: & de indulgentia medicâ caput ſuperius 20. aliquid propoſuit.

CAP. LIV.

CAPUT LIV.

De Virtute Vitali agente, deq́ ipſius domicilio motuq́ indefeſſo.

Cum vitæ terminus ſit operationis cordis quies(quàm diu enim hoc ſecundùm ſuam ipſius naturam movetur, impoſſibile eſt animal mori!) non alienum à propoſito noſtro fore exiſtimo, ſi de vitali agente virtute,deque ipſius ſede & origine, circa finem hujus tractatus paucula ſubjiciantur. Cognito enim fundamento vitæ,non difficulter etiam cognoſcitur fundamentum curæ, cujus beneficio operationes præcipuè cordis firmari, ac potentiores reddi poſſint.

Eſt igitur vitalis virtus, per quam eſt vita, ejusque fundamentum & origo, immò lares & focus, ipſum cor, in quo primordia ignis nativi ſtabiliuntur,&tanquam in arce quadã continentur: ab hoc incipit virtus vitalis, & ad omnia corporis membra per arterias tranſmiſſa ac derivata, vitam communicat, dum ſcilicet cordis & venarum pulſantium dilatatio fit & contractio.

In hoc cordis motu idem accidit,quod in ebullitione, in qua inflatur & in vaporem

convertitur humidum à calidó: συνωματῦται: turget enim illud, & elevatur propterea, q ejus moles rareſcens amplior fit. Eàdem ratione humidum in corde contentum, quód nihil aliud eſt, quàm ſanguis, à caliditate cordis intumeſcit quaſi, facitque pulſationē, quæ eſt humidi calefacti inflatio, & in ſpiritum converſio, quam ſequitur ſanguinis halituoſi in arterias eruptio, & poſtea contractio ſeu ſubſidentia ventriculorum cordis. Hæc operatio, quàm diu homo vivit, continuò procedit, & affluente ſemper humido, ſemper alius generatur ſpiritus in ventriculis ſeu ſinibus cordis.

Quoniam igitur cor quaſi fornax eſt caloris nativi, plurimum ſanè calidum continebitur in corde, idq; membrorum omnium erit calidiſſimum, teſte Hippocr. libro πεὶ ἀρχῶν. Et Galenus cap. ultim. lib. 1. de Temperam ſanguinem à corde ſuum accipere calorem, confirmat, quippe quod viſcus naturâ omnium ſit calidiſſimum. Eſt enim cor ἀρχὴ τῦ θερμῦ, fons caloris & vivifici nectaris, ſanguinem gignit arterioſum, venoſum attenuat, præparatque pulmoni, vitales inſuper ſpiritus omnium calidiſſimos conficit.

Focum

Focum certè in hoc viſcere eſſe decuit, quo nativus ſingularum partium calor recrearetur: nam ſi in recens diſſecti cordis ventriculos digitum immittas, tàm ingentem ejus calorem percipies, ut urat, cum fervere ſemper ſit ſit opus, utpote quod ſeipſum & alia tùm movere, tùm calefacere debet.

Propterea ſolus motus cordis eſt infatigabilis, propter continuam influentiam à motore, qui eſt anima, ſemperque eſt motori proximum, quod ab eo eſt primum: ſiquidem omnis virtus, quò magis accedit principio, perfectior eſt, adeoque potentiâ & virtute præſtantior, & operationi accommodatior: multitudine verò & diviſione minor. Quare eidem cordi peculiaris quædam caro, ſpiſſa quidem & compacta, diſſimilis carni in reliquo corpore, tributa eſt, propter motum, quem edit, continuum, nec feriantem, quàm diu vivit homo: & ſic actiones partium diverſas, ipſarum ſubſtantiæ proprietatem ſequi neceſſe eſt. Hinc etiã perfectiſſimo inſtrumento nobiliſſima ſedes, unde commodiùs, tanquam à centro, radice, & lumine, ad circumferentiam, ſurculos, radioſque potentias univerſo corpori circumquaque diſpenſaret, lac diſtribueret, conceſſa eſt.

Cæterùm cordis operationes, mediante ſpiritu vitali, in actum deveniunt, quod opus, à cauſa interna deductum, ante diſceſſum animæ non interrumpitur: idq; quò diutiſſimè vigeat, roborantib. muniendum, quod quidem non vulgaribus iſtis pulveribus, rebus mellitis vel ſaccharatis (niſi potiùs ratione ſacchari & mellis, quæ ſenibus interdum non obſunt, nec reliquorum ingredientium ratione, eadem velles præſcribere) ſed corpore ſuo ſpoliatis & exutis: inq; tenuiorem eſſentiam reductis, de quibus altera pars practica hujus libelli Lectorem commonefaciet. Nam roborantia balſamum labaſcentem ſuſtentabunt, præcipitique de fluvio vincula quædam, moraſque injicient.

CAP. LV.

CAPUT LV.

De vitalis virtutis decremento ſpontaneo, non coacto.

SIccitatis culpâ omne genitum corpus mortale fieri neceſſe eſt: hæc igitur connata interitus ac ſiccitatis neceſſitas hominem quoque comitatur, tùm per totam vitam, quæ indeſinenti fluoris incommodo eſt obnoxia, tùm poſt ætatem defloreſcentem, vigori proximam. Hinc partibus omnibus ultra modum ſicceſcentibus, non ſolùm cujuſque officium, decreſcente ſimul calore, minùs probè adminiſtratur, ſed & corpus ipſum rugoſius, gracilius, ac magis terreſtre relinquitur, unde magis magiſque ſubſequitur artuum impotentia, motus depravatus ac impeditus, nec non ſuperfluitatum, vitæ contrariantium, proventus,

Quod ſi tale prorsùs adjungere, & agglutinare corpori per totum liceret, quale erat ipſum, quod effluxit, profectò id eſſet ſaluberrimum, & ad immortalitatem propagandam accommodatiſsimum, cum talis eſſet naturæ, qualis ipſa particula defluens. Cùm verò nullum nec alimentum, nec medicamentum tantæ ſit præſtantiæ, quod in

integrum prorsùs reſtituere poſſit defluvium, collabi tandem atque everti totam corporis Oeconomiam neceſſe eſt. Siccitatem inde licet deprehendere, dum in vigore ætatis, quæ ἀκμὴ dicitur, incrementum omne ſiſtitur, oſſibus nimirùm ipſis per ſiccitatem non ultrà ſequacibus, ut nihil dicam de aliorum membrorum ſiccitate, quæ ſenſus incurrit.

Sed cur moles corporis cum ætate creſcit, neque tamen nativus calor ad annos uſque conſiſtentiæ fit auctior & melior? Videtur enim virtuti vitali non celerius imminere decrementum, quàm velox eidem prius accedebat incrementum? Videtur etiam humidum nativum, caloris vehiculum & ſuſtentaculum, ſimul cum mole corporea ſuccreſcere: quid ni igitur idem in ſummo gradu exiſtens, paulatim & gradatim decreſcit. Nam cum quadraginta anni ad incrementum roboris ac virtutis vitalis, quæ tùm temporis maximè viget & floret, corpori humano decernantur, quidni totidem anni ad ejuſdem virtutis decrementum & marcorem requiruntur, quod peræquè motu ſucceſſivo fieri poſſet? Quemadmodùm enim ſpacium diei circa tempus vernum paulatim creſcit, & augmentum capit: poſt æſtivum verò rurſùs pededentim ſenſimque decreſcit: ſic etiã vitalis

vitalis facultatis incrementum & decrementum eodem modo ſe habere debebat. Iam v. conſtat, decrementum ætatis plerunque citiùs delabi ac ruere in deterius, quàm prius ſpatium in meliùs aſcendebat? nec æqualem deprehendimus proportionem inter aſcenſum & deſcenſum annorum: nam maxima pars hominum circa ſexageſimum annum viribus omnibus exoluta interit, cùm lege naturæ ad octuageſimum pervenire deberet?

Reſpondeo & fateor, majorem ſemper requiri portionem humidi in majore corporis mole, unde alatur: nam calor abſque intermiſſione ex alimento confecto potiſſimam humoris elaborati partē membris apponit? unde humor ille primarius unà cum corporis mole omninò augeſcit, interim tamē humidum illud nativum paulatim ſicceſcit, nativam ſuam humiditatē exuens. Itaq; major quidem humidi quantitas accedit, ſed qualitas ejus vivifica minuitur, quodq; agglutinatur, ſemper eſt impurius, & priori nequaquā ſimile. Unà verò cum adaucto humido nativo, qualitas calorifica major fit, ut in majore mole major fit, in minore minor: perpetuò, tamen aliquid de ſua natura amittit, magis magisq; areſcens ac refrigeſcens, alienamq; qualitatem, quæ mordacitatē ſapit, induens.

Manet itaque humidum idem numero & ſpecie, ſed non eaſdem ſervat qualitates. Sic caloris æqualitas eſt in pueris, & ætate florentibus: quantum namque pueri de humido obtinent vaporoſo, adeoque jucundo & grato, tantum in vigore conſtitui de humido ſicciori acrioriq; participant, quod non ejusdem cum priori præſtantiæ eſt.

Sed inſtantiam hæc reſponſio patitur: Videmus namque ætate conſtantes emaciatos & diuturnis morbis exhauſtos, rursùs emergere, refici ac pingueſcere, quod non fieret, niſi humidum illud inſitum eſſet vaporoſum, aërium, puriſſimum: cur non ſimilis refectio & renovatio humidi defluentis in ſenibus locum haberet?

Sed reſpondeo & diſtinguo inter oppreſſionem caloris ſeu balſami radicalilis, & inter ipſius reſolutionem. In ægrotis quibuſdam vitalis facultas ad tempus obruitur, quæ diſcuſſis nebulis ſeu humoribus morbificis, quibus ipſa immerſa latet; ſeſe recolligit. In quibuſdam verò planè ſuffocatur, & violenter extinguitur. Senes quod attinet, in iis quoque vis vitalis paulautim marceſcit, ac defloreſcit, non aliter ac flamma oleo deſtituta contabeſcit: & ſi qui morbi diuturni Senioribus accidunt, magna ex parte ipſis commori,

commori, nec eos inde facilè liberari experimur, præſertim ſi propter ætatis imbecillitatem medicationes ægrè ferant.

Teſtatur autem experientia, etiam valdè ſenes gravibus quandoque ægritudinibus corripi, unde quidem metuitur omnimoda virium diſſolutio ac diſperſio, quę tamen non rarò colliguntur, & recuperantur. Quod cùm ita ſit, concedetur etiam, vulgare illud ſenectutis ſpatium, quod plerunque ſexaginta annis includitur, ulterius id plerisque porrigi ac protendi poſſe?

Sed rursùs reſpondeo, illam virium recuperationem eſſe talem, qualem ſenili corpori convenire, par eſt: vix enim pinguedo poſt diuturnos labores, eodem modo in ſenibus, quo in juvenibus abſumtis, renaſci poterit: & in ſuo genere ſenex etiam decrepitus ſanus dicendus: licet negari non poſſit, ſi regimen in diæta, ut & præmatura ſuperfluitatum excluſio & roboratio nectaris vitalis ritè procuretur, plurimùm in protendenda ſenum vita obtineri poſſe.

Hoc tantùm adjicio, exiſtimari à nonnullis decrementum vitalis virtutis ſpontaneum, & naturale, quod tamen eſt morboſum. Hinc multi frequentiùs ſudantes, crebriùs urinam emittentes, feces alvi complu-

tes exturbantes, ſputum variegatum ejicientes, pro ſanis habentur, quibus tamen humidum, ab aliqua morbificâ causâ propulſum, paulatim quidem, ſed violenter excluditur.

Quapropter hoc à Medicis & Literatis probè obſervandum eſt, diſtinguenda ſcilicet eſſe decrementa ætatis, an liberè, vel coactè & ſymptomaticè contingant, ſenectutemque accelerent, an verò ingraveſcentis ætatis ratione fiant: ne more rudioris plebeculæ quosvis ſenes, atque etiam virilis ætatis homines modò exhauſtæ atque enervatæ ſenectuti, modò ipſi fato ſeu divinæ voluntati temerè adjudicent: cùm plures reperiantur, qui ſuâ & aliorum culpâ, à quibus deſeruntur, diem ante diem obire coguntur, qui longiùs ſupereſſe potuiſſent.

CAP. LVI.

CAPUT LVI. & ULT.

Cur Magnates plerunq́ ſint brevioris vitæ.

NOn immeritò Artem noſtram in ſuſpicionem trahere quis poſſet, conſiderando Magnatum plerorunque vitam, anguſtis limitibus circumſcriptam, cùm tamen Magnates tot Conſiliariis, tot Medicis, tot pharmacopœis ſint muniti ac circumſepti: pharmaca domi & ruri præſtolantur: Medici ſæpiùs in ipſorum dormiunt cubiculo, quotidiè eoſdem accedunt, urinam & ſtercus inſpiciunt, deque præſervativis Medicinis anxii atque ſoliciti ſunt maximè. Vivunt certè Magnates in rerum omnium affluentia, molliter educantur, ventis ac frigori in teneræ ætate non exponuntur, non craſſi, ſed optimi ſucci veſcuntur eduliis, benè & ſalubriter præparatis, vino utuntur generoſo, contra injurias aëris optimè præmuniuntur, motu tempeſtivo exercentur, ſomno viciſſim reficiuntur, obſtructionibus maturè liberantur, ſingulisque ſemeſtribus, vel etiam citiùs à Medicis ſuis evacuantur, ita ut morbi materia nulla tâm facilè poſſit irruere.

Quid

Quid dicam de Medicina animi, qui Muſicis inſtrumentis quotidiè recreatur? quid igitur obſtat, quod non plerique omnes ſint vivaciſsimi? Paracelſus lib. 10. Archidox. culpam rejicit in Doctores Aulicos, & in ipſam quoque Magnatum ingluviem ſeu intemperantiam. Nam de Aulicis aſſerit, eos eſſe ipſis Agricolis rudiores: dicam primò de Medicis ita, ut neque vera laus ipſis detracta, neq; falſa afficta videatur: dicam verò nonnulla abſque acerbitate ulla: Non enim ipſorum delicias, & honores affecto. Opinionem Paracelſi de Medicis quod attinet, rancida profectò eſt illa, & injurioſa: quaſi verò Paracelſus totam artem ſolus calluerit, quem tamen in multis manifeſtæ falſitatis, aperti mendacii, & abſurdæ contradictionis arguere poſſem, ſi opus eſſet. Iactabundus iſte homo, ſi coràm ſyllogiſticè & ex fundamentis cum Galenicis conferre debuiſſet, facilè pudore & iracundiâ ſuffuſus, in pedes ſe conjeciſſet. Novi & ego, quando conveniant chymica, quando Galenica: neque ſolus ſapit unus tantùm, Viri ſunt ubique doctiſſimi, licet gradibus, doctrinæ diverſitate, & donorum varietate diſtincti. Neque verò ſoli ſapiunt Aulici, cùm ex caſa quoque Vir Magnus prodire poſſit: novi in Saxoniâ

xoniâ Virum in utraque; Medicinâ ſolertiſſimum, qui ne latum quidem unguem neque aulicis, neque aliis Medicis cedit: non enim ſemper doctiſsimus eſt is, qui prima tenet ſubſellia, aut cui ſplendida decernuntur ſalaria, vel qui reliquos, qui carne ferinâ non veſcuntur, aſpernatur, quod proximus ſit à Iove, aut interdum à latere Principis. Sunt autem nonnulli in Aula ut doctiſſimi ac feliciſſimi, ita modeſtiſſimi, inferioribus aliquã laudis portiunculam non invidentes, ſicuti opifices nonnulli in more & conſuetudine habent, qui vicino ſuo interitum pro felicitate precantur: Ego tenuitatem meam agnoſco, neque aliis me præfero. Eſt Deus in nobis, qui operatur: Neque idem cunctis datum, proque munuſculis divinitùs mihi oblatis gratias ago immortali Deo, datori bonorum omnium, qui dona ſua diverſimodè in nos miſellos, & miſericordiæ vaſa diſtribuit. Hoc qui verè agnoſcit, & Creatorem veneratur, nec ſolis libris affixus eſt, ſed ſuas quoque meditationes in utranque partem rimatur, veritatem ſcrutatur, & optima quæque rejectis vulgaribus ſeligit, & certis fundamentis innitens, artificiosè curam aggreditur, hunc Deus non derelinquet. Vita quidem brevis eſt, ſed Ars noſtra non

brevis

brevis eſt, ſed longiſſima. Non obiter, non pſunctoriè ſunt adeundi à Medicis Magnates ſæpiùs ſcintilla mali deliteſcit, q̃ oculis nemo videt: oculus animi recludendus, & perſpicienda ſunt tàm præterita, quàm præſentia, & futura. Deliteſcit etiam in corpore morbus, quem tu, licet actiones expreſsè nondũ lædantur, in tempore avertes ac propulſabis, ne ex mora incrementum capiens incautum opinione celeriùs opprimat: hîc requiritur ſagacitas. Ad hæc in multis morbis, etiam vulgaribus, latet occultum, ſeu malignum quoddam, veneni cujuſdam particeps, hoc in Domino tuo, antequam invaleſcat, tangendum, hoc curandum, hoc eradicandum: quod quale ſit, meum non eſt aperire: nam vehementiùs labores me premunt, quàm præmia.

Audio nonnullos Heroibus ſuis polliceri longævitatem, Medicus verò citiùs vitam finiit, quàm ipſe Dominus: heus bone vir, quiſquis es, qui aliorum valetudini tuendæ adjunctus es, fidem tuam cum juramento datam, revocabis in memoriam, non enim adulationis & pecuniæ captandæ gratiâ adductus es, ſed ſanitatis conſervandæ, ac reſarciendæ cauſâ: quomodo enim longam vitam

ei

ei promittere poteſt, qui vitæ vires ac nervos intemperantiâ frangit, profundit, propriâque temeritate diſſolvit, ac peſſundat? Nam etiamſi temperie optima eſſet à natura dotatus, ingluvie tamen degenerabit in vitioſiſſimam, quæ ſic labefactata corruit & ante diem à DEO determinatum ſuccumbit. Proinde Medicus conſcientiæ ſuæ rationem habebit, prædicendo periculum, quod inordinatam diætam comitatur, ne tandem in ipſius imperitiam culpa redundet, & ab imprudentibus eò devolvatur.

Certiſſimum eſt, complures Magnates ſaluberrimis Medicorum præceptionib. locum nullum relinquere, ſed proprio impetu huc illuc agitari, dumque ſe poteſtate & Autoritate præ cæteris pollere vident, aliorum præſcripta & monita parvipendunt, præſertim ſi ab ineunte ætate Magiſtrum adepti ſunt improbum. Quapropter Conſiliarii docti non bibuli, non pigri ventres, helluones & ἄμουσοι in Aulam recipiendi ſunt: Nam ſi Magiſter eſt improbus (ut nullâ circuitione, ſicut Profeſſio mea requirit, utar) diſcipulus paulò melior vix evadet: quam quæsò in adoleſcentia & juventute temperantiam præſtare poterit is, quem

puerum

puerum ductores ac moderatores non modò epulis conquiſitiſſimis & variis, ſed & vinorum fortium & obſoniorum omni genere ſaturant. Informandi ſunt omninò Magnates bonis moribus, & excolendus ac firmandus eorundem animus liberali doctrinâ, non quidem ut aliquando Scribæ alicujus officium (ut bibuli & ignavi fucipratendunt) ſuſcipiant: ſed ut in juventute & ſenectute perfecta ſit ratio,&expetendarum, vitandarumque rerum ſcientia, ne quid cupidè, ne quid impotenter, ne quid improbè committant, utq; eò melius delinquentium errores, malorum iniquitates & dolos perſpicere poſſint.

Faciles certè ad utramque viam noſtros animos natura finxit, ut ducem nacti vel ad honeſtatem, vel ad turpitudinem, non admodum repugnantes ſequantur.

Verùm aſini nonnulli torquati abhorrent à virtute,nobilitatem quęritantes in poculis,cùm tamen virtus verè nobilitet, ejusq; poſſeſſio,in quorum animis ſyncerè unà cũ ætate accreverit, ſola nec in ſenectute deſerat, & opibus ſit præſtantior, & nobilitate utilior.

Cum geniis itaque tuis aut cum Turca bellige-

belligerabis: pocula namque non reſiſtunt, nec ullus honor ab inermibus expectandus: multi illudunt Muſas, cùm tamen iſtis carere nequeant: ars enim non habet oſorem, niſi ignorantem ſui. Vincet animum probè informatum Heros, qui cætera vincit. Quemadmodum equus effrenis ac indomitus tàm ſibi quàm aliis ſæpiùs nocet: at manſuetus, docilis, ac freno aſſuetus ſeſſoriſque moderamen, facilè ſuſtinens, tàm ſibi quàm equiti benè conſulit, ita ut ad determinatum locum juſto tempore incolumes ambo perveniant.

Eodem modo animæ pars pathematis obnoxia, benè ducta atque edocta, viros juſtiſſimos, piiſſimos ac temperantiſſimos facilè admittet, ſeque rectæ rationi ſubjiciet, & tàm ſibi, quàm aliis rectiſſimè uſque ad ultimam ſenectutis metam conſulet. Ex contraria parte appetitus ſenſuum, jugum rationis excutiens, nec ſalutaria conſilia admittens, corpus quoque in perniciem deturbabit.

Cauſa igitur brevioris vitæ in Magnatibus prima & potiſſima eſt mala educatio ſeu iniqua mentis inſtructio, non quidem à bonis viris invecta, ſed à Cyclopibus introducta

& depravata: poſſunt enim duplices adeſſe Præceptores, boni & mali, & quod illi ædificant, hi rursùs evertunt ac diruunt: Siquidem natura noſtra adeò corrupta eſt, ut potiùs ad malum quàm bonum impellamur: quare à teneris aſſueſcere multum eſt.

Altera cauſa eſt propagatio ſeminis impuri, ab Avis derivati: dum namque priores variis utuntur cibis,& immoderatè in omnibus ferè rebus non naturalibus vivunt, certè poſteris id ipſum, quod vitiosè collectum eſt in corpore, traductionis quadam lege obtruditur, juxta illud Horatii lib. 3. Carm. Ode 6.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor Avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Cujus ſententiæ veritas licet alios quoque homines non excludat, Magnates tamen cumprimis ſpectat: univerſalis namque interitus rebus omnibus imminet, omniaque ruunt in deterius. Sic calor obtuſior factus, ſemi-

ſeminum fructuumq; vim majorem intercipit: frigore verò dominium acquirente, facultas ſingulorum vegetatrix expirat. Si igitur pabulum noſtrum & fomentum caloris non ampliùs eſt ejus præſtantiæ & dignitatis, quæ corpori nutriendo competit, certè alimentum quoque ultimum deinceps aberrabit, humidumque radicale reddet impurius, quo facto, vitam quoque breviorem eſſe neceſſe eſt.

Sæpiſſimè etiam contingit, ut morbi hæreditarii in prolem transfuſi exaſperentur, cùm quaſi in ipſam naturam tranſeant, altiùsque radices in corporibus agant. Quod enim in prima ſtatim cõformatione homnis ipſum ſemen tranfuſum eſt, illud difficiliùs eluitur, quàm quod annis ſubſequentibus invehitur, viribus nimirum jam conſtantibus, cum faciliùs mollia impreſſionem admittant, quàm dura. Addo quod noxa iſta primordiis illata minùs ſenſui ſit obvia, quàm quæ primordia ſubſequitur, unde occultum ac deliteſcens malum vires paulatim acquirit, & potentiâ naturali adjutum, conſequitur deinceps habitum, qui difficillimè extirpari poteſt.

Tertia cauſa eſt ipſe exceſſus Magna-

miſſa edulia ægriùs ſæpè, quàm ſubſequentia concoquantur, putredo ſuboritur,& cruditas malorum omnium ſeminarium; hinc inæqualis iſta concoctio nulla eſt, ſed mera putrefactio, quam protractio menſæ miris modis adauget, cum non juſto tempore claudatur ſtomachus, ſed calor & ſpiritus ibidem contenti diſpergantur. Quid dicam de cathenatis ac continuis compotationibus, quæ omnia viſcerum munia vehementiùs interturbant, deque laudabili ſtatu ſuó dejiciunt, vires proſternunt, calorem enervant, humidum conſpurcant: unde igitur longa vita expectanda eſt? tantam certè jacturam medicamenta, quantumvis pretioſiſſima, non reparabunt, præſertim ſi enormes iſti errores frequentiùs committantur.

Crrtè excrementa ſeu feces alvi Magnatum graviter fœtentes (quod plebeii quoque norunt) teſtes ſunt majoris putrefactionis: hinc brutorum ſtercora non adeò ſunt graveolentia, quàm hominum, cùm hi variis veſcantur cibis, iſta verò ſimplici utplurimùm alimento contenta vivant, & ſalubriùs degant.

Nam ex diverſis cibariis diverſitas atq;

inæqualitas humorum emergit, qui corpus non benè nutriunt, ſed offendunt: hinc pauperes & Ruſtici plerunque ſalubriores ſunt, quàm divites, cùm ſimplex cibus, quo iſti delectantur, naturæ maximè ſit accommodatus. Præterea vina potentia cibos nondum à calore ſtomachi evictos, vi quâdam propellunt in ambitum corporis, unde crudum ſuper indigeſtum ingeritur, & malum malo augetur, unde langueſcit calor, variisque modis detritus citò deſtruitur.

Quid autem pocula incolumitatis, ut vocantur, in gyrum ducenda, & ἀπνευστὶ à Miniſtris haurienda, Magnatibus conferunt? ad excuſandam ſcilic. Germanorum ἀσωτίαν, deſiſte quæſo ab ejuſmodi ineptiis, non enim Magiſtratus tuus inde ſalubrior aut vivacior futurus eſt: aut ſi pro ipſo ægritudine affici deſideras, gratum facies, teneris quidem, & obſtrictus es, ſi fieri poſſet. Audio etiam helluones nonnullos in conventibus & conviviis ſuperiorum ſubornari, quos poculis invicem certare oportet: præſtabilius hoc ipſum videtur, quàm ſi ipſi Magnates potu ſe defatigent mutuò: Athletica convocanda ſunt corpora, Principum non ſufficiunt.

Cæterùm non ab omnibus voluptatibus

arcendi

arcendi ſunt Magnates: cùm enim gravibus, ut decet, diſtricti diſtentique teneantur negociis, quiſnam voluptates licitas ipſis invideret? Præcipuè verò illam, quâ feris ac beſtijs perſequendis capiendisq; inſidiæ ſtruuntur, quod exercitium Magnatibus tàm neceſſarium, quàm utiliſſimum ſimul ac jucundiſſimum exiſtit. Neceſſarium quidem eſt illud, ad arcendas & è medio tollendas atrociſſimas & crudeliſſimas iſtas feras, ut ſunt Leones, Urſi, Lupi, Vulpes, aliæque rapaciſſimæ & nocentiſſimæ beſtiæ. Utilitas autem conſpicitur, dum corporis ſanitati hoc modo proſpicitur, variis ſcilicet exercitationum modis, ſive pedes ire Principi libuerit, ſive equi miniſterio uti voluerit. In quibus tamen omnibus, tùm pro corporis variâ conſtitutione ac conditione, tùm pro fortioris aut imbecillioris valetudinis ratione, cautè & adhibito judicio agendum eſt. Qua in parte, num labor grandior, vel levior ac remiſſior expediat, Medicus præſens admonebit. Violenta tamen exercitia, præſertim ſtatim à cibo inſtituta, damnantur, cùm chylum adhuc crudum rapiant in venas: ideoque Medici commiſſos ſibi Dominos ab ejusmodi intempeſtivâ commotione ſedulò de-

hortabuntur, cauſas quoq; exponent, de quibus illa ſit omittenda. Utilius certè, ante cibos exercitationem adhiberi: nam ſi à cibo corpus labore exagites, crudis omninò implebis humoribus: Hinc Gal. lib. de boni & mali ſucci cibis, id confirmavit, inquiens: ὥσπερ γὰρ ἀγαθὸν μέγιστον ἐστὶν εἰς ὑγείαν τὸ πρὸ τῶν σιτίων προγυμνάσιον, οὕτω βλαβερώτατον ἅπασα κίνησις ἡ ἐν σιτίοις, ἀναδίδοται γὰρ ἐκ τῆς κοιλίας ἡ τροφὴ πρὶν πεφθῆναι, id eſt, quemadmodùm maximum bonum ad ſanitatis tutelam eſt, ante cibum exerceri: ita pernicioſiſſima res eſt omnis poſt cibum motio: diſtribuitur enim tum cibus ex ventre, antequam concoquatur. Pletunque Magnatum corpora ſunt cacochymica, praviſque ſuccis immerſa, ſi igitur intempeſtiva ſuperveniat exercitatio, tunc viſcera, excrementis referta, onus ſuum propellunt, inque habitum corporis deducunt: hinc tota corporis Oeconomia in deterius ruit, balſamus vitalis imunditie obrutus obſoleſcit, nec eum conſequitur vivendi terminum, qui ipſi à natura præſtitutus eſt.

Quarta cauſa brevioris vitæ Magnatum eſt Medicorum quorundam incuria, qui non eam adhibent curã & ſolertiam, quę ab ipſis requiritur: nam facilè eſt, potiunculam purgatori-

gatoriam languenti præſcribere, ſed ea non ſufficit. Sagacitas in Medico deſideratur, præſertim Aulico, ut procellas ſanitatis, ratione temperamenti vel alterius rei impendentes avertere, viſcera intemperata roborare, & divinatorem vel quaſi Ariolum, pro tanto ſoſtro, quod ipſi quotannis numeratur, ſeſe exhibere poſſit. Ad quemnam morbum Heros tuus inclinet, indicabis, ſeminibus morbi maturè obſtabis, nec ullam ſanitatis tempeſtatem, quantum in te eſt, ingruere permittes, cogitando, quis & qualis curæ tuæ ſit commiſſus, & quantus ille ſit: Verùm hæc doctioribus non præſcribuntur.

Quinta cauſa eſt pœna divina: quando enim Magnates oviculas ſuas potiùs deglubunt, quàm tondent, tunc gemitus & fremitus pauperum nubes cœli tàm diu ſecant, donec ad ipſum D E U M, qui eſt verus & ſummus Monarcha, perveniant, eumque in auxilium & vindictam convocent: nam ſuſpiria pauperum ſunt maledicta Tyrannorum. Væ iis, qui cauſæ ſunt variarum & intollerabilium exactionum, quibus ſubditi exhauriuntur & exuguntur, quibus ſanguis, ſuſpiria & lacrymæ extorquentur, adeò, ut multos ſubditos mœrore, ac viribus corporis & fortunæ propterea emaciatos, ante diem in-

terire neceſſe ſit: unde profectò nulla benedictio divina expectanda eſt, ſed potiùs maledictio, quæ vitam minuit; ſucceſſumque rerum aliarum prorsùs evertit. Certum namque eſt, preces pias ac ſerias ſubditorum, pro Magiſtratibus effuſas, plus ponderis atque momenti habere, quàm exactiones multiplicatas, quibus nil niſi ſuſpiria & imprecationes, divino quidem verbo prohibitas, extorquentur. Generalia hæc ſunt, nec ad ullum aliquod certum individuum directa: proximi quæro ſalutem, ut quidem officii mei ratio flagitat. Nam exactiones indignæ, & illicitæ, famem & annonæ caritatem, quæ aliàs ingraveſcit, exaſperant, unde cumprimis peſtilentes excitantur morbi, qui ſubditos acervatim interficiunt, taceo cæteras inde provenientes ærumnas: dilacerantur enim urbes & commercia, cives etiam ad ſumam pauperiem adiguntur, quod quidem Magnates, neque vivaciores, neque opulentiores reddit.

Tandem hoc etiam à Magnatibus in ſtudio captandæ longævitatis obſervandum, ut ſemper plus tribuant Viris literatis, quàm inertibus & ocioſis: plus Scribis, quàm inſulſis: Sic enim mores, vitam & actiones hu-

manio-

maniorum arteque politorum miniſtrorum imitatione potiùs exprimen,quàm aliorum, qui in diem vivunt, atque in fœdiſſimo voluptatum cœno quotidiè volutantur: & ſic dicto prudentiorum magis erunt audientes Magnates,adque dictamen rectæ rationis magis vivent,quod quidem ad longævitatem plurimùm faciet.

Partis Theoreticæ generalis, de proroganda vita,

FINIS.

LIPSIÆ

Excudebat LAURENTIUS KOBER.



Sumptibus

THOMÆ SCHÜRERI, Bibliop.

Anno

---

cIↃ IↃ C XV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

415

Digitized by Google

PANDIMIGLIO
2 1 DIC. 1970
LEGATORIA - ROMA